

Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Mühlhausen,

womit

zu den Prüfungen am 6. 7. 8. April 1840

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Dr. Christian Wilhelm Haun,

Director.

Angefügt ist eine lateinische Abhandlung:

Bemerkungen zu Theokrits Idyllen

von

Dr. Carl Ameis,

Subconrector.

Mühlhausen,
Gedruckt bei Wilhelm Rode.

Adnotata in Theocritum. Specim. I.

Scripsit C. Ameis.

In Theocriti carmina argumenti varietate pariter atque orationis colore insignia quum omni tempore hominum doctorum viguerunt studia, tum nostra memoria haud pauci exstitere, qui eximiam in iis et interpretandis et emendandis operam collocarent. Quorum interpretum studia qui attentius consideraverit, facile intelliget in multis locis esse obscura illustrata, dubia confirmata, difficilia expedita. Nihilo tamen minus etiamnum in singulis locis larga bene merendi occasio præbetur, sive emendationem spectemus verborum, sive diligentiorem sententiarum explanationem. Quodsi ego ausus sum hac scribendi opportunitate oblata hunc poetam eligere, id non feci opinatus, me ubique res plane novas et doctis inauditas in publicam lucem emissurum esse, sed hoc fuit propositum meum, ut in quibus locis explicandis recentissimi interpretes vel ambigunt vel a vero aberrare videntur, meam qualemcunque proferam sententiam. Quapropter ubique comparavi editionem *) Meinekii, cujus viri in arte critica factitanda omnium hic maxime excellentis quanta sit eruditio, quantum ingenii acumen, quanta denique judicandi sollertia ex illo libro, quo accuratius inspexi, eo explicatius me cognovisse grato animo confiteor. Deinde rationem habui Kiesslingii atque Wuestemanni, qui de interpretando Theocrito multis nominibus bene meriti sunt. Præterea quæ Hermannus, Bergkius, Boissonadus **), Greverus, alii ad poetam recte intelligendum nostro tempore contulerunt, sedulo consideravi. Ne quis autem miretur, quod etiam levissima haud pauca attulerim, meminerit quæso hæc scripta esse ratione habita discipulorum. Locos parallelos quos vocant tum demum adjeci, si quos nondum laudatos inveni ab interpretibus. Quidquid autem scripsi, scripsi secundum Euripidis illud: εἰς τὸ κοινὸν δοὺς ἄμεινον ἂν μάθοις.

---

*) Alteram dico, quæ anno 1836 Berolini prodiit.

**) Usus sum altera editione, quæ anno 1837 Parisiis emissa est.

Idyllium I.

V. 15. Ad hunc locum explicandum Wuestemannus observavit, veterum fuisse superstitionem, ex qua sibi caverent, ne Panos somnum tempore mediterraneo interpellarent; nam Pana fuisse deum iracundum et ob morum asperitatem pastoribus maxime metuendum. Similia affert Burchardus in Anthologia (Berol. 1839 edita et juvenum usui bene accommodata) p. 219. Uberius suam mentem exposuit Wuestem., quamquam lectores illuc non ablegavit, in Epigr. IV. 1. ubi hæc sunt ejus verba „Ob id credo, quod caprarii in singulari Panis et Priapi tutela erant, pastores non item. Hinc explica illud, quod caprarius apud Theocrit. I, 15. meridie fistula canere non audet, verens ne Panem ex somno suscitet; at ovium pastor id permissum putat. Epigr. sq." At vero Epigramma quintum *) nihil ad rem, quia illic pastor quidam pectidem pulsaturus, Daphnide fistula cantaturo, alium pastorem provocat ut secum duplicibus tibiis caneret ad Pana ex somno suscitandum. Quam sit enim contumeliose tractatus hic deus, si hominum votis non esset propicius, ex ipso Theocrito (VII, 106 sq.) apparet. Deinde caprarios in singulari Panos tutela fuisse, jam statuit Heinsius, cujus tamen sententia recte refutata est a diligentissimo Kiesslingio. Jam vero ad locum, de quo loquimur, recte intelligendum urgenda sunt verba συρίσδεν (v. 14). et ἀείσῃς (v. 23). Nam fistulæ pastoriciæ sonum stridentem evitabant pastores, neque vero vocis modulationem. Id jam sensisse videtur Scholiastes, cujus hæc est adnotatio: οὐ πρέπον ἐστὶν, ὦ ποιμὴν, κατὰ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας τῇ σύριγγι χρῆσθαι. cf. etiam J. H. Vossium in libro, qui ita inscribitur: *Anmerkungen und Randglossen zu Griechen und Römern Leipzig* 1838. *p.* 152. ubi hæc verba leguntur: *Die gellende Syringe konnte, von einem Meister geblasen, noch die Eifersucht des jähzornigen Pan reizen; ein blosser Gesang, wodurch selbst die Priester ihre Gottheiten Morgens und Abends einschläferten, störte die Ruhe nicht.*

V. 30. . . . . ἃ δὲ κατ' αὐτὸν
καρπῷ ἕλιξ εἰλεῖται ἀγαλλομένα κροκόεντι.

Quid significat κατ' αὐτὸν? Kiessling. obscurius explicat: ibidemque — devolvuntur, in latina interpretatione legitur: per quam, id quod multi probarunt, Boisson. in Nicet. p. 75. ἕλιξ κατ' αὐτὸν accipit pro ἕλιξ αὐτοῦ i. e. τοῦ κισσοῦ. Wuestemann.: circa illum (sc. helichrysum) interpretatur, sequutus ut videtur Heynium in Virgil. Ecl. III, 38. p. 106. ed. Wagner., Spitzner. de vi et usu præpositt. ἀνὰ et

*) Vel fragmentum idyllii elegiaci, quemadmodum sagacissime exposuit N. Bachius Quæst. Elegiacarum Specim. I. p. 17.

κατὰ ap. Homer. (Viteb. 1831) p. 30. præpositionem *κατὰ* h. l. magis congruere putat Latinis apud vel juxta, Hermanus Opusc. V. p. 50, pertineatne huc significatio e regione, contra, an aliter sit locus intelligendus, in ambiguo relinquit. Greverus denique in libello, quem sic inscriptum edidit: *Kleine Beiträge zur Erklärung und Kritik der Idyllen Theokrits. Bremen* 1830 *p.* 3. *κατ' αὐτὸν* mutatum vult in *κάτωθεν.* Quid igitur horum omnium verum est? Mihi videtur locus ita interpretandus esse, ut *κατ' αὐτὸν* respondeat Latinis secundum eam sc. hederam *an ihn hin schlängelt sich das Geranke geschmückt mit der safranfarbigen Frucht.* Vocabulum quod sequitur *ἔντοσθεν* (de cujus forma Spitzner. in Il. VI, 364. loquitur) non est „sub hederaceis illis corollis desuper pendentibus", ut vulgo interpretantur, neque „sub hederæ flexibus", sed potius præeunte Virgilio (Ecl. III, 40): in medio, *darin, in der Mitte* i. e. *im Bauche des Bechers*: Recte Schol. *ἀντὶ τοῦ ἔνδον.*

V. 39. *τοῖς δὲ μέτα.* Non videtur vera esse explicatio Schæferi præter hos, quam et Kiessl. et Wuest. probaverunt; rectius interpreteris juxta eos *neben ihnen.* In locis, quos comparat Schæferus XVII, 84. XXV, 129. significat: unter.

V. 40. . . . . *σπεύδων μέγα δίκτυον ἐς βόλον ἕλκει.*

„*ἕλκει*, verriculum per undas trahit, quod verrere mare dicitur. F. J." Ita in Wuestemanni editione. At verba denotare nequeunt, senem rete, in mare jam projectum, per undas trahere (*das Einziehen des Netzes*), sed significant, rete immitti demum mari a sene (*das Auswerfen*). Recte locum intellexit Scholiastes qui adnotavit: *ἕλκει ἐς βόλον ἤγουν εἰς ἄγραν, εἰς τὸ ῥίψαι ἐπὶ ἄγραν.* Uti h. l. *πέτρα λεπράς, ἐφ' ᾇ* dicitur, ita apud Hom. Od. XII, 252. *ἐπὶ προβόλῳ.*

V. 52. *ἀκριδοθήκαν* scripsit ex aliquot codicibus Meinekius, probantibus et Boissonado et Wuestemanno. Hanc scripturam, quam jam Dahlius in orationem contextam quam vocant receperat, Meinekius propterea veram habet, quod *ἀκριδοθήκαν* nihil aliud significare possit, nisi locustarum venationem. Sed dissentit Lobeck. Paralipp. p. 375. monens, nominibus in *θήκη* exeuntibus significari thecas sive apothecas, armaria et repositoria rerum inanimatarum, *ἀκριδοθήκην* autem non magis dici posse quam *βουθήκην* vel *ὀρνιθοθήκην* pro vocabulis *βουσταθμός* et *ὀρνιθών* sive *ὀρνιθοκομεῖον.* Itaque interpretatur *ἀκριδοθήραν* caveam asservandis locustis, locustarum autem venationem non *ἀκριδοθήραν* dici arbitratur, sed *ἀκριδοθηρίαν*, collatis vocibus *εὐθηρία, δυςθηρία, φιλοθηρία.* Hanc Lobeckii rationem refutare studuit Mehlhorn. (in Ephem. Hallens. 1839. N. 67. p. 536) hisce verbis." *Wenn auch θήκη sonst nur von unbelebten Dingen gebraucht wird, und man z. B. nicht βουθήκη sagen könnte, so lässt sich doch nicht unbedingt leugnen, dass auch dieses Wort, besonders von so kleinen Thieren, in launiger Rede stehen*

konnte; so gut wie der Knabe seine Raupen- oder Käfer-Büchse oder Schachtel sagen kann, obgleich Stall das eigentliche Wort wäre, obwohl er nie Kuh-Schachtel sagen wird. Dass nun aber auch die Griechen so sagten, kann nur die Kritik der Ueberlieferung in bezeichneter Stelle entscheiden, und diese ist von Seiten der Codd. *offenbar für ἀκριδοθήκαν*" Hæc argumenta viri sagacissimi rem nondum conficere mihi quidem persuasum est. Primum enim oratio hujus loci non est jocosa *(launig)*, sed locus continet suavem et vividam rei descriptionem. Deinde alia est ratio linguæ græcæ, alia nostræ, ut inter se comparari posse non arbitrer *Büchse* sive *Schachtel* atque θήκη et θήρα. Codices denique, ad quos provocat, ii certe sex numero, qui apud Theocritum ἀκριδοθήκαν dedere, non possunt optimis adnumerari. Nam auctore Gaisfordio codex Z. recentissimus est, L. recentior multum, et quam sæpe hi et quattuor reliqui codices inter se conspirent, apparet ex conspectu, quem exhibuit Muehlmann.: Leges Dialecti etc. Lipsiæ 1838 p. 21 sqq. Ibi codd. Z. 6. 8. 9. c. ad unam familiam referuntur. Quam ob rem verisimilius videtur, librarium quendam, qui in ἀκριδοθήραν offenderit, illud mutavisse in ἀκριδοθήκαν, quam ordine inverso. Itaque impetrare a me non possum, quin veram putem sententiam summi Lobeckii.

V. 56. *Αἰολικόν τι θάημα· τέρας κέ τυ θυμὸν ἀτύξαι.*

Infinitivus ἀτύξαι appositionis loco additus est substantivo, quem usum accuratissime, ut solet, explanavit Mehlhorn. de Appositione. p. 8. et 9. Similis locus infra extat XXIV, 136. μέγας ἄρτος Δωρικός, ἀςφαλεώς κε φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσσαι. Ibi enim major orationis distinctio post Δωρικός vulgo posita, quæ etiam apud Meinekium legitur, mutanda est in mininam. Hanc minimam positam esse ipse meis oculis vidi in ed. Brub. a. 1553. atque in editione anni 1596, [ad fin. præfat. scriptum est: „Ex Ilfelda a. 1592. T. "] de qua verissime judicavit Wuestemann. præf. p. XXIX extr.; porro in edit. Eton. et Th. Briggsii comma positum esse adnotavit F. A. Jacobs. p. 475. — Paullo post in verbis ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγεν non necesse est statuatur tmesis, uti Wuestemannus et Rostius Gr. § 108 Not. 9. volunt, sed præpos. ποτὶ conjungere possis cum χεῖλος, ut sit constructio prægnans: t a n g e n s v e n i t a d l a b r u m.

V. 77, 80, 81. ἦνθ' Ἑρμᾶς. ἦνθον τοὶ βῶται. ἦνθ' ὁ Πρίηπος. Similis repetitio ejusdem verbi est apud Hom. Od. VIII, 322: ἦ λ θ ε Ποσειδάων γαιήοχος· ἦ λ θ' ἐριούνης
Ἑρμείας· ἦ λ θ ε ν δὲ ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

V. 83. κρᾶνας hic aliisque locis (veluti VIII. 52. φῶκας. IX, 10. πᾶσας. 11. τρωγοῖσας. 17. χιμαίρας.) propterea scripsit Meinekius, quod Theocritus hos accusativos nusquam produxerit. Similiter vocabula, quæ huc spectant, jam scripsit Gœttling. in Hesiod. veluti Theog. 60. κοῦρας κτλ. cf. præf. p. XVI. Meinekium sequutus est Burchard. p. 209.

Sed non verum est, Theocritum hos accusativos nusquam produxisse. Factum enim est non solum in articulo τὰς V, 89. VIII, 35., sed etiam in adjectivis φίλας VII, 104. ῥαδινὰς XVII, 37. in substantivo θύρας II, 6. (coll. v. 160. πυλάν — ἀραξεῖ). Itaque Gregor. Cor. de dialecto Dor. §. 149 p. 339 ed. Schæf. recte addit particulam καὶ in verbis: Συστέλλουσι καὶ τὰς εἰς ας αἰτιατικάς.

V. 85. Barbaram esse formam ζατοῖσα, etiamnum nonnullis probatam, docuit Buttmannus Gr. ampl. §. 105. Not. 10. p. 485 ed. II. Sed de vera hujus loci scriptura ambigunt. Quod Hermannus in Zimmerm. diurnis antiquariis anni 1837. N. 27 proposuit ζατεῦσαι, id jam legitur in Matthiæi Gr. Gr. §. 212, 12. p. 456 ed. III fortasse ex operarum errore. Ego suspicor hoc loco scribendum esse ζαλοῖ σ'. ἃ κτλ. [VI, 27. ζαλοῖ μ' ὦ Παιὰν] Cetera verba ita intelligo, ut δύσερως sit qui perdite amat, quatenus Daphnis, quamquam amore puellae motus, perire tamen mavult quam Amori cedere. Nam ἄνυε πικρὸν ἔρωτα (v. 93) i. e. *suchte zu bewältigen* (VI, 7 videtur significare eum, qui amore minus movetur *unempfindlich für Liebe*). Idem Daphnis vocatur ἀμάχανος signif. passiva i. e. talis, cui auxilium ferri nequit, quatenus ipse puellam perseveranter repudiat. Idcirco totum versum reddiderim: *Sie ist eifersüchtig auf dich. Ach du bist ein verzweifelnd Liebender, dem nicht zu helfen ist.*

V. 95. ἦνθέ γε μὰν ἀδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,
λάθρια μὲν γελάοισα, βαρὺν δ'ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα,
κἦπε·

Hæc est vulgata librorum scriptura, quam multi conjecturis tentaverunt. Plerique probant emendationem Hermanni pro λάθρια legentis ἀδέα, cui similem conjecturam jam proposuerat Ahlwardtus in editione Dahlii. Venus tum dicitur ἀδέα γελάοισα [γελόωσα Muehlmann. l. l. p. 78], quod quin græce dictum sit dubitant Jacobs in Anth. Pal. p. 723. (quem laudat Lobeck. in Soph. Aj. p. 246) et Meinekius. At ab hac dubitatione formulam defendit Hermannus l. l., defendit Bergkius ibidem p. 443., defendit analogia. Addi enim potest, quemadmodum apud ipsum Theocritum ἁδέα συρίσδων (VI, 9.) et ἁδὺ μελισδόμενος (VII, 89.), apud Bionem ἁδέα βλαστεῖ (III, 17.) inveniantur, ita etiam ἡδέα et ἡδὺ γελᾶν quin dictum sit dubitari non posse. Burchard. l. l. p. 154. comparat etiam Ibyci verba τακερὰ — δερκόμενος. Porro opus esse non videtur, ut quidquam mutemus, dummodo λάθρια non clam, sed occulta dissimulatione, atque verba βαρὺν θυμὸν ἀνέχοισα secundum Homericum ἄνεχ' ἵππους (Il. XXIII. 426.) interpretemur. *) Quod si recte est dictum, ut mihi quidem videtur, sententia est: *Es kam — die süss lächelnde*

*) Cohibere illa (Venus) et comprimere iram dicitur. Sunt verba Hermanni in Soph. Oed. Col. v. 680, quem vide de significatione verbi ἀνέχειν accuratissime disputantem.

Venus (epitheton ornans sicuti alias φιλομμειδής), *zwar mit heimlicher Verstellung lächelnd, aber einen bittern Groll zurückhaltend.*

V. 102. *ἤδη γὰρ φράσδῃ, πάνθ' ἅλιον ἄμμι δεδύκειν;*

Burchardus in Anthol. p. 224 adnotavit: „Ita egregie locum jam conclamatum restituit Hermannus.“ Ut suum cuique tribuatur, observo hanc versus scripturam, quam puto ab ipso Meinekio hodie probari, profectam esse ab Eustathio in Il. X. p. 1366, 39., unde recepit H. Stephanus. cf. editionem Reiskii T. II. p. 19. Eandem scripturam probaverunt Vossii, Boissonadus (in cujus altera editione omissum quidem est signum interrogandi, sed id factum esse videtur ex vitio typothetarum), Hermannus l. l. Schneidewin. (Conjectanea Critica. Insunt Orionis Thebani Antholog. Tituli VIII. Gotting. 1839 p. 167) qui tamen nihil novi adjecit, quum locus Diodori ab eo allatus jam legatur in indice Wuestemanni p. 418. s. v. *ἅλιος*. — V. 103. *ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτι.* Similiter Apoll. Rhod. II, 260. *ὡς οὔ τις θεόθεν χόλος ἔσσεται εἵνεκ' ἀρωγῆς.*

V. 109. *ὡραῖος χὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει*
καὶ πτῶκας βάλλει καὶ θηρία πάντα διώκει.

In his verbis *ἐπεὶ* particulam ironicam esse vult Wuestemannus. Similiter disputat I. H. Vossius in Virg. Ecl. X, 16. p. 186 ed. II. „acerba sane irrisio, adolescentem ejus florentem, et imbelles oves pascentem, vel contra lepores audacem esse, atque adeo contra feras alias.“ Non recte, ut videtur. Affirmant potius verba *ἐπεὶ* usque ad *διώκει*, cur Adonis appellatus sit *ὡραῖος*, quod non est „pulcher, formosus“, neque „in ætatis flore constitutus“, sed ut recte jam interpretatus est Dahlius: idoneus, cujus congressum appetas. Etiam quæ sequuntur apud Wuestemannum verba: „illos pastores tu perdidisti, me quoque ad mortem adegisti; sed vana gloriola est. Eadem enim a Diomede superata es“ a vero abhorrent. Respiciamus nexum. Daphnis acerba ratione Veneri exprobrans furta illa amatoria Vade, inquit, ad Idam, ubi bubulcus Venerem dicitur — (sc. *ἀσπάσασθαι* *umarmt haben soll*, Schol. *καταισχῦναι.*) vade ad Anchisem, nam *τηνεὶ δρύες, ὧδε κύπειρος* (sc. *ὥστε σκέπειν σὲ συνερχομένην τῷ Ἀγχίσῃ* Schol.), rem habe cum Adonide, nam *ὡραῖος* est. Hæc autem dicit Daphnis, quia ipse mori mavult quam amare, et apud inferos quoque *κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτι.* Ubi igitur scriptum est, rem habuisse Venerem cum pastoribus, ut illos perderet? Tum pergit Daphnis:

V. 112. *αὖτις*) ὅπως στασῇ Διομήδεος ἄσσον ἰοῖσα,*
καὶ λέγε· τὸν βώταν νικῶ Δάφνιν, ἀλλὰ μάχευ μοι.

---

*) Muehlmann. Leg. dial. p. 72. vult ex sex codibus *αὖθις* restitui, cujus rei desidero justam caussam.

Hæc verba in latina translatione apud Kiesslingium Græcis non satis accommodate sunt reddita: Fac, ut iterum cominus ad Diomedem accedas, neque Wuestemann. locum satis accurate convertit: eumque (Diomedem) ad certamen ineundum iterum provoca, neque Greverus bene scribit (in libello, cui indicem fecit: *Nachträge zur Kritik und Erklärung der Idyllen Theokrits. Oldenburg* 1837 p. 5) hoc modo. „*So wie hier herausfordernd, kommt* ὅπως *mehre**) *Male in der Iphigenia in Aulis und Tauris (z. B. 296) des Euripides vor. Es ist demnach unnöthig, wie mir einmal in den Sinn kam, zu lesen:* αὖτις ὅπλοις στᾶσαι *(oder auch* στασῇ*) stelle dich mit Waffen entgegen, oder auch als Dativ, um den Genitiv* Διομήδεος *besser zu motiviren: Stelle dich den Waffen Diomed's entgegen, was allerdings dem nachfolgenden* μάχευ *entsprechen würde.*“ Quatenus id magis responderet sequenti *μάχευ μοι*, equidem nondum perspicio. Tota autem adnotatio docet, Greverum quoque non videri intellexisse, magnam inesse in verbis acerbitatem irrisionis, cujus sententia vix cuiquam obscura erit germanice sic explicata: *Halte mir ja Stand, wenn du wieder einmal einem Diomedes nahe kommst, und scheuche einen solchen durch die Erzählung des über den Daphnis davongetragenen Sieges in die Flucht!* (Antea posuit poeta articulum ὁ βώκολος, χὤδωνις, h. l. solum nomen, unde conjicio sententiam esse magis generalem.). Similis orationis color invenitur apud Hom. Il. III, 432, ubi Helena acerbo animo alloquitur Paridem:

ἀλλ' ἴθι νῦν προκάλεσσαι Ἀρηΐφιλον Μενέλαον
ἐξαῦτις μαχέσασθαι ἐναντίον.

Hic locus simul aptior est illustrandæ particulæ *ἀλλά*, quam quem allatum video a Grevero, Il. XXI, 422. *ἀλλὰ μέτελθε.*

V. 120. . . . . *Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος*
reddit in observatione Wuest. verbis ego idem ille Daphnis, quæ interpretatio usui Græcorum repugnat. Verba ita jungenda sunt: *ἐγὼν ὅδε* (ego hicce *ich hier* cf. Rost. Gr. §. 99, 6, c.) *Δάφνις τῆνος.* Similiter loquitur apud Sophoclem Philoctetes v. 261. *ὅδ' εἰμ' ἐγώ σοι κεῖνος.*

Idyllium II.

V. 11. *φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον,*
τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ,

Quotiescunque hunc locum lego, hæc mihi subnascitur dubitatio. Primum Hecate

*) Per hanc occasionem quæro ex hoc viro docto, quem magni æstimo, num ei probentur, quæ de voce mehre disputavit Reisigius in scholis de lingua latina habitis, quas publici juris fecit et ingeniosis observationibus ornavit F. Haase Lips. 1839 §. 114. p. 176.

epitheto ornata est, non item Luna, id quod concinnitas loci mihi videtur postulare. Deinde ἄσυχα adverbialiter positum plerumque significat leniter, paulatim, pedetentim, num etiam clam? Quod Weissgerberus in programmate Friburgensi anni 1828 proposuit: profundo noctis silentio, id quin græce dictum sit dubitandum est, donec idoneis locis probatur. Itaque in eam sententiam inclinat animus, ut veram putem conjecturam Kiesslingii ἄσυχε δαῖμον. Paullo aliter apud Horat. Sat. I, 8, 21. „vaga luna" dicitur.

V. 15. Usum comparativi compendiarium ut illustraret Wuestem., multos viros doctos laudavit. Sed potuit componere exempla Theocritea VI, 38. (quamquam in h. l. dissentio, ut infra monebo) XX, 25. XXIX, 7.

V. 24. . . . . χὡς αὐτὰ λακεῖ μέγα καππυρίσασα.

Ad hanc scripturam vulgatam, quam recentiores jure probaverunt, tuendam accedit etiam Etym. Gud. s. v. Δάφνη p. 135, 26. ed. Sturz. ἠχεῖ γὰρ καιομένη. μαρτυρεῖ Θεόκριτος· Χ'ὡς αὐτὰ λακκον (sic) μέγα κακπυρίσασα. Quam extremam vocem tacito correxit F. G. Schneidewin. Conjectt. Critt. p. 167. Ad locum Etym. M. p. 250, 35. jam explicat Sylburg. καππυρίσαι ignem concipere. Cum versibus proxime sequentibus cf. Hor. Ep. V, 81. „amore sic meo flagres ut bitumen atris ignibus."

V. 28. ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
ὣς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.

De ceræ usu, qui fuit in incantationibus, fusius exposuerunt quos afferunt Gaulminus et Boissonadus in Psellum de operatione dæmonum, Norimbergæ 1838. editum p. 268. Etiam sacerdotes medio ævo ejusmodi imaginibus cereis usos esse, duobus exemplis illustratur in Seebodii Nova bibl. Crit. 1825 T. II. fasc. I. Delphis vocatur ὁ Μύνδιος i. e. ex Myndo oriundus „quam Arcadiæ urbem fuisse tradit Scholiastes. Hujus Myndi nusquam alibi, quantum scio, mentio fit." Ita Wuestemanus, quem sicuti alios fugit, ut videtur, locus Strabonis XIV. p. 657. Tom. V. p. 619 ed. Tzschuck. Ἑξῆς δ' ἐστὶν ἄκρα Τερμέριον Μυνδίων κτλ. quam Cariæ urbem, prope Halicarnassum sitam, hoc loco intelligendam esse verisimile fit collato versu 156.

V. 33. sqq. . . . . τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἐν Ἅιδα
κινήσαις κ' ἀδάμαντα, καὶ εἴ τί περ ἀσφαλὲς ἄλλο.
Θέστυλι, ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται·
ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι· τὸ χαλκίον ὡς τάχος ἄχει.

De hoc loco, qui sic scribendus fuit, plura sunt observanda. Primum in verbis *τὸν ἐν Ἅιδᾳ — ἀδάμαντα* explicandis in diversissima abeunt interpretes, ex quibus plerique *ἀδάμαντα* habent pro substantivo. Sed quemadmodum ubique, ita hic quoque id verum putandum est, quod est maxime simplex. Haud dubie poeta per *τὸν ἐν Ἅιδᾳ den im Hades* intelligit Plutonem, quem nominat *ἀδάμαντα*, eum qui domari nequit i. e. ratione habita hujus loci: quamvis a nullo alio domari possit. Ita jam apud Homerum (Iliad. IX, 158.) legitur *Ἀΐδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος*. Recte nostrum locum intellexisse videtur unus e Scholiastis: *ἤγουν τὸν Πλούτωνα, καθὸ σκληρὸς καὶ ἀδάμαστος*. Deinde inter verba *κινήσαις ἀδάμαντα*, ubi vulgo *ῥα* interponitur, *κε* particulam inserendam esse, primus vidit I. H. Vossius (*Anmerkungen und Randglossen* p. 165.). Sequuti sunt Ahlwardtus in ed. Dahlii, H. Vossius (in Notis in Theocr. p. 12), Kiesslingius, Briggsius, Hermannus (in Zimmermanni Diurn. Antiq. stud. 1837. p. 227.). Summus Meinekius recepit *κινήσαις ἀδάμαντα* atque observavit: „Hoc praebuit optimus cod. K. [etiam X.]. Vulgo interponitur *ῥα*. Optativo sine *ἄν* usus est Theocritus III. 54. VIII. 20. 89. XI. 74. XXIX. 38. fortasse etiam IV. 11. nisi ibi pro *τοι* scribendum *κεν*, ut habet cod. K.“ *) At recte abest particula *ἄν* auctore Hermanno (de part. *ἄν* lib. III. c. 5. Opusc. IV, p. 154—164.) in iis locis, in quibus vel voluntas vel opinio cum voluntatis quadam significatione conjuncta indicatur. Itaque de singulis locis a viro ingeniosissimo allatis sic statuo. Theocr. III, 54. *ὡς* **) *μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο* non sign. id quod in latina interpretatione apud Kiesslingium legitur „dulcis mellis instar hoc tibi per guttur descendet“ (id enim græce dicendum esset *γένοιτ' ἄν*), sed descendere opinor; quamquam haud multum absum, quin conjiciam pro *τοι* scribendum esse *κεν*. Porro VIII, 20. *ταύταν κατθείην*. i. e. hanc velim deponere *diese möchte ich daran setzen* (Hermannus l. l. p. 162: hanc oppignerem.). Similiter VIII, 89. *οὕτως ἐπὶ ματέρι νεβρὸς ἅλοιτο*. (dativum ex codd. K. Vat.). In XI, 74. mea quidem sententia recte se habet scriptura vulgata *τάχα κεν πολὺ μᾶλλον ἔχοις νοῦν*. Deinde XXIX, 38. *βαίην* est: velim illuc ire (interprete Hermanno in Vig. p. 924. ed. IV. Wuestemannus minus accurate explicat: „possim ire.“). In IV, 11. denique non dubito, quin pro *τοι* ex cod. K. recipiendum sit *κεν*, quod Briggsius audacter mutari vult in *τἄν* (pro *τοι ἄν*.). Sed ad hunc locum infra redibo. — Verba quæ se-

---

*) Non prorsus intelligo, cur non addiderit Meinekius alia exempla, veluti VIII, 91. XXII, 74. XXVII, 59. qui quidem loci iis, quos attulit, simillimi sunt. cf. præterea Mosch. III, 108. *τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι*. V, 12. *καὶ παγᾶς φιλέοιμι*.

**) Herm. in Vig. p. 560. hunc locum contendit cum Sophocl. Electr. 126. qui loci mea quidem sententia dissimiles sunt.

quuntur εἴ τί περ ἀσφαλὲς ἄλλο comparari quodammodo possunt cum Id. VII, 4. εἴ τί περ ἐσθλὸν χαῶν τῶν ἐπάνωθεν (nescio cur Meinekius tantum h. l. εἴ τι divisim, at II. 34. et Epigr. XVI, 4 εἴτι conjunctim scripserit). Nam vel Plutone fortius et potentius quiddam cogitari potest, si meminerimus Virgiliani: „Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.“ — Verba ταὶ κύνες accipiunt et Wuestem. et Kiessl. (in v. 12.) de canibus, qui forte per urbem vagantur. Id quominus sumatur impedire videtur ἀνὰ πτόλιν [non κατὰ πτόλιν dixit poeta,], id quod accurata veri observatione dictum significat, uno cane latrante proximos vicinos canes et sic deinceps omnes in omnibus domibus per totam urbem excitari. cf. Herm. Opusc. V. p. 41. — Verba ἁ θεὸς vertit Wuestem. „ipsa dea jam adest,“ et addit: „Hæc est vis articuli. Vid. Seidl. ad Eurip. Iphig. Taur. 1402.“ At mihi quidem non videtur necessarium esse, ut articulus tantopere urgeatur. ἁ θεὸς simpliliter est: dea *die Göttinn*, ea nimirum de qua sermo est. In loco citato haud dubie inest error operarum; nam Seidlerus ibi disserit de ὅδε pronomine. — τὸ χάλκιον ὡς τάχος ἄχει. Cymbalorum, quæ in sacris suis pulsari jusserint sagæ, hanc fuisse caussam statuit Wuestem., ut deae animum vel deficientem vel ad sacra non attentum ad se adverterent. Verisimilior videtur sententia vel Sophronis in Schol. in Lycophron.: λύει τὰ φαντάσματα . . . χαλκὸς κροτηθείς., vel Arnobii (VII. p. 237.) monentis, cymbalis ad justum rhythmum pulsandis deorum indignationem mitigari. Ceterum transitiva significatione verbum ἠχεῖν etiam positum est Epigr. IV, 10. κόσσυφοι ἀχεῦσιν ποικιλότραυλα μέλη. Sic Latinis sonare, velut notissimum illud: „sonante mixtis tibiis carmen lyra.“ (Hor. Epod. IX, 5.).

V. 40. . . . . . ὅς με τάλαιναν
ἀντὶ γυναικὸς ἔθηκε κακὰν καὶ ἀπάρθενον ἦμεν.

Nescio cur Wuestem. notissimum dicendi genus dicat Atticam elegantiam. Structura hæc est: ὅς ἔθηκέ με τάλαιναν ἦμεν (i. e. ὅς με τὴν ἀθλίαν ἐποίησεν εἶναι Schol.) κακὰν (famosam, non „impudicam,“ ut Wuestem. interpretatur.) καὶ ἀπάρθενον. Γυνὴ est uxor, ἀπάρθενον autem caussa est, cur consequens κακὰν locum habeat, quæ vox ut præcedat effecisse videntur verba ἀντὶ γυναικός. Id jam sensit unus e Scholiastis, quamquam non satis accurate explicavit: ὅστις μιν ἀντὶ γαμετῆς γυναικὸς ἀπαρθένευτον ἐποίησε καὶ ἄκοσμον.

V. 53. τοῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις,
ὡγὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.

Erravit, ut ego quidem arbitror, vir eximius Fr. Jacobs., qui in Wuestemanni editione hæc observavit: „Simætha fimbriam illam fortasse flammis comburendam tradit . . . præ indignatione, qua graviter commota reliquias quoque pueri odio habet.

Nec aliam ob caussam illa fimbriam in partes videtur discerpere. Hæc certe interpretatio cum proximis optime conspirat simulque epitheto ἀγρίῳ vim addit, ut nunc quidem languere dici non possit.“ Huic explicationi plura adversantur, et primum quidem, quod, si vera esset hæc caussa fimbriæ discerpendæ, tota cærimonia fuisset supervacanea. Deinde reliqua exempla, quæ explanavit Vossius in Virg. Ecl. VIII, 91. p. 132. ed. II. ostendunt, rem aliter esse cogitandam. Verba haud dubie cohærent cum iis, quæ proxime præcedunt, ita ut notio ἐς τόδε δῶμα περάσαι denuo respicienda sit. Quemadmodum enim Virgilii saga pignora sub suo ipsius limite defodit, supra quod Daphnis amans ad amantem sæpissime intraverat, ut limen arcanis viribus vaporum terrestrium eum attrahat, sic Simætha limbum discerpens et igni excandescenti comburendam tradens putanda est id spectavisse, ut Delphis similiter animo perturbatus et quasi delaceratus atque flagrantissimo sui amore denuo correptus in domum suam et suos amplexus revertatur. Itaque epitheton ἀγρίῳ h. l. non languet, sed vim et impetum significat ignis Hecates ope quam maxime flagrantis. De ipso epitheto comparari potuit XXIV, 90. καῖε δὲ τώδ᾽ ἀγρίησιν ἐπὶ σχίζῃσι δράκοντε.

V. 59. Θέστυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ᾽ ὑπόμαξον
τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον, ἇς ἔτι καὶ νῦν
ἐκ θυμῶ δέδεμαι, ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ,
καὶ λέγ᾽ ἐπιφθύζοισα· τὰ Δέλφιδος ὀστία μάσσω.

Per τὰ θρόνα equidem nihil aliud intelligere possum, nisi unguentum quoddam sagarum ex variis rebus compositum (*eine Zaubersalbe*), quapropter usurpari videtur numerus pluralis, in quo Kiessl. offendit. ταῦτα autem, quod δεικτικῶς dictum est, indicat, Simætham iam apparatum illud unguentum ad sacra secum attulisse. Cur hæc vera mihi videatur interpretatio paucis exponam. Non significari lacertam contritam, quæ Ahlwardti sententia est a Kiessl. probata, bene demonstravit, ut opinor, Wuestemannus, in eo tantum ille falsus, quod addit, Vossium patrem et filium τὰ θρόνα accepisse de sertis vel florum corolla. Hoc conjicere mihi videtur diligens interpres ex germanica translatione:

Thestylis. Jetzo empfah dies Blumengerank, und bestreich ihm
Unten die Schwelle damit, u. s. w.

Neque tamen recte conjecit; nam Joannes Henricus et Henricus Vossii τὰ θρόνα interpretantur „pubentes herbas, nigri cum lacte veneni.“ cf. *Anmerkungen und Randglossen* p. 169. atque Not. in Theocr. p. 14. At huic Vossiorum interpretationi obstare videtur primum, quod Nonnus Dionys. XXXVII, 415. nominatim distinguit: πῇ θρόνα; πῇ βοτάναι; πῇ φάρμακα ποικίλα Κίρκης; deinde obstat, quod herbæ non ὑπομάττονται. Neque

simpliciter φάρμακα indicantur vocabulo θρόνα, quæ sententia est Greveri (*Kleine Beiträge* p. 34.), quum hæc quoque a Nonno singillatim commemorentur, et quum, hoc si poëta voluisset, haud dubie ea usus esset voce, ex qua id certius colligi posset. Itaque restat tantummodo, ut intelligamus unguentum quoddam sagarum, cui convenit verbum quoque ὑπομάσσειν. Quod unguentum si cogitemus commixtum fuisse ex pubentibus herbis [παρὰ τὸ ἄνω θορεῖν ἐκ τῆς γῆς] contusis, et versicoloribus bestiolis [τὰ πεποικιλμένα ζῶα] contritis, atque inde ipsum versicolor fuisse: patere simul videtur, quomodo factum sit, ut hoc vocabulum postea potuerit vel ad similes res transferri [veluti ad τὰ ἀνθινὰ ἱμάτια i. e. versicolores vestes, quas gestabant potissimum αἱ ἑταῖραι], vel etiam pro generali vocabulo φάρμακα poni. Possit vero etiam res ita expediri, ut in scholiis tantum videamus metaphoricas vocabuli significationes. Utut est, hac certe via explicari posse puto diversas Scholiastarum interpretationes. Hæc hactenus. De verbis ἇς ἔτι καὶ νῦν ἐκ θυμῶ δέδεμαι sic scribit Greverus (*Nachträge z. Kr. u. Erklärg.* p. 6.): „*welcher (nämlich Schwelle) ich auch jetzt noch ganz und gar ergeben bin, an welcher mein Herz hängt. Wie? Hatte sie denn das Haus des Delphis je betreten? Davon sagt unser Text nichts. Vielleicht ist ὧ für ἇς zu lesen, welches dann auf Delphis geht.*“ At hanc conjecturam nemo facile probabit. Nam etiamsi numquam ingressa est Simætha domicilium Delphidis pedibus, potuit tamen quotidie illud intrare v i i m a g i n a n d i. Atque id vere factum esse a Simætha, puella flagrantissime amanti, vix puto a quoquam in dubium vocari. Alia autem quæstio est, sitne scribendum ἐκ θυμῶ an ἐκ θυμῷ cum iota subscripto. Genitivum jam invenimus apud Meinekium, qui in priore editione dativum probaverat. At unde pendet genitivus ἇς? Haud dubie ex verbo δέδεμαι. At ubi exempla leguntur, quæ probant huic verbo metaphorica significatione posito adjungi posse nudum genitivum? Huc accedit, quod quomodo ἐκ θυμῶ huic loco conveniat non facile sit intellectu. Itaque ad eorum accedo sententiam, qui verum vidisse existimant Scholiasten adnotantem: ἤγουν ἐκδέδεμαι, ἐκκρεμής εἰμι τῷ θυμῷ, τουτέστι, τῇ ψυχῇ. Notus est locus Hom. Od. X, 96. πέτρης ἐκ πείσματα δήσας. Etiam Boisson. dativum adscivit. Sententiam si spectamus comparandus est locus Id. III, 33. — Quod Wuestem. ἐπιφθύζοισα explicat: m u r m u r a n s, n o n a l t a, s e d s u p p r e s s a v o c e, id improbandum est. In errorem induxisse videtur interpretem Scholiastes: ἐπιψιθυρίζουσα, ἡσύχως ἐπᾴδουσα. Sed Scholiastes hoc finxit. Spectant potius ad hunc locum verba illa Plinii H. N. XXVIII, 7: V e n i a m q u o q u e a d e i s s p e i a l i c u j u s a u d a c i o r i s p e t i m u s i n s i n u m s p u e n d o. Voluit enim Simætha efficere, ut malorum geniorum ultio, quam fiducia in herbis efficacibus posita commovere poterat, removeretur. Ita igitur illam Græcorum superstitionem, quam in reliquis Theocriti locis (VI, 39. VII, 127. XXII, 11.) invenimus, etiam huic loco accommodari necesse est. Ceterum cf. de

hac superstitione, quam ex antiquo tempore propagatam Græci etiamnunc conservant, eos quos laudant Wuestem. et Boissonadus in Id. VI, 39. atque Gaulmin. et Boisson. in Psellum p. 247. Nota 25. — Denique ὀστία recepi pro ὀστέα ex cod. K. cf. Th. Bergkium felicissimum conjectorem in Mus. Rhen. VI, 1. p. 31. (In probabilem conjecturam μάσσω præter Ahlwardtum et Græfium etiam inciderat Bindemannus in germanica interpretatione p. 355.)

V. 65. *ἐκ τίνος ἀρξεῦμαι; τίς μοι κακὸν ἄγαγε τοῦτο;*
ἦνθ' ἁ τῶὐβούλοιο καναφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ
ἄλσος ἐς Ἀρτέμιδος,

Observat Wuestem. „*κακὸν ἄγαγε*] simplex verbum nota adhibitum ei notioni, qua *ἐπάγαγε* exspectabas. Pindar. Pyth. X. 6. *Ἱπποκλέᾳ ἐθέλοντες ἀγαγεῖν ἐπικωμίαν ἀνδρῶν κλυτὰν ὄπα.*" Pro loco Pindarico adscribere potuit exempla Theocritea, veluti infra 102. *ἄγαγε.* IV, 44. *βάλλε κάτωθε τὰ μοσχία,* quod non est „rejice" sed simpliciter j a c t a (pedo) d e o r s u m v i t u l o s, *wirf.* VII, 93. *ἐσθλά, τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.* Similiter Wuestem. in XXIV, 67. dicit *νοέοντι* i. q. *ἐπινοοῦσι.* Sed abstinendum est præceptione, qua apud antiquos scriptores, poetas præsertim, verba simplicia in eorum, quæ cum præverbiis composita sunt, sensum interpretari jubemur. Nam ista doctrina jam pridem exterminata est, quamquam multos nacta est fautores, quorum nonnullos nominavit G. B. Winer: de verborum simplicium pro compositis in N. T. usu et caussis Lips. 1833. p. 3 Nota 1. Wineri catalogo quivis permultos addere posset e. c. Brunckium in multos locos dramaticorum veluti Soph. Oed. Tyr. 434. Oed. Col. 680. Wunderum in Soph. Antig. v. 168, alios. Sed non est hujus loci. In loco Theocriti, de quo jam loquimur, interpretare: *Wer hat mir diess Elend gebracht?* quod multo grandius sonat et animum affectione concitatum fortius indicat quam nostrum: *Wer hat mir diess Elend h e r b e i gebracht* (*ἐπάγαγε*)? — Verba quæ sequuntur vertit Kiessl.: „Venit ad nos Eubuli filia Anaxo, canistrum ferens in lucum Dianæ," atque Wuestemannus *ἄμμιν,* inquit „est mihi, cum maximo incommodo meo." At utrumque a vero abhorret. Pronomen *ἄμμιν* procul dubio explices: n o b i s, qua voce intelligit Simætha semet ipsam et reliquas virgines, quæ una secum in eadem regione habitabant. Est igitur *ἄμμιν* dativus quidam ethicus, significans affectum, quem excitabat Anaxo ad splendidam pompam abitura. Porro latina interpretatio apud Kiessl. in errorem implicuit, ut mihi quidem videtur, Greverum (*Kleine Beiträge* p. 37.), qui voce *καναφόρος* cum *ἄλσος ἐς Ἀρτέμιδος* arcte conjungenda (*eine Korbträgerinn für den Hain der Artemis d. h. die zum Haine der Artemis den Festkorb tragen wollte*) rationem excogitavit repugnantem usui linguæ. Verba *ἄλσος ἐς Ἀρτ.* adnectantur necesse est verbo *ἦνθε,* quod non est: „venit," sed i v i t (quemadmodum jam legitur Hom. Od. I. 281. 284.). Quo

facto non inest huic loco obscura verborum consequutio, quam animadvertit Greverus *(man vermisst durchaus eine klare Wortfolge)*, sed omnia perspicue patescunt.

V. 72. . . . . . . *ἐγὼ δέ οἱ ἁ μεγάλοιτος*
ὡμάρτευν βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα,
κἀμφιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τᾶς Κλεαρίστας.

De verbo *ὁμαρτεῖν*, quod Schol. h. l. pariter atque apud Homerum *ἀκολουθεῖν* interpretantur, suo more diligenter disseruit Spitzner. Excurs. XII in Il. §. 2. In extremo versu Meinekius *τὰν Κλεαρίστας* recepit, quæ scriptura, si mea me non fallit opinio, a mente poetæ aliena est. Sane quidem omnes interpretes cogitant de more, ex quo in festis sollemnibus pauperiores ab opulentioribus vestes vel conducebant vel mutuabantur, de quo more præter Bastium, quem afferunt Kiessl. et Wuestem., conferenda est nota Boissonadi in Aristæn. p. 322. Atque hæc interpretatio videtur etiam Meinekium movisse [nam nihil in h. l. adnotavit] ad scripturam *τὰν Κλ.* recipiendam. At secus statuendum esse jam exponendi periculum faciam. Primum codices fere omnes consentiunt in genitivo; nominatim enumerantur apud Gaisfordium B. C. D. L. S. W. X. c. [pro hoc codice I. A. Jacobs. p. 348. nescio quo jure attulit i.] m. Ott. 8. a. m. sec. Junt. Med. Ald. Call.; *τῆς* habent P. h. Jacobs. l. l. addit alia. Reiskius (T. II, p. 162.) scribit: „remansit, quod ægre fero, in editione nostra e Commeliana, quæ sola sic habet, *τὰν Κλ.*“ Itaque *τᾶς* optima nititur auctoritate. Deinde mos ille, vestes vel conducendi vel mutuandi, valebat tantummodo in pauperioribus. Atqui Simætham non fuisse puellam pauperiorem, sed nobiliorem, ex pluribus locis hujus idyllii apparet, et primum quidem ex eo, quod habebat ancillam Thestylin [neque vero etiam nutricem, quæ fuit Anaxus; qua in re errat Greverus], deinde quod elegantem tunicam ex bysso confectam trahebat, denique quod ad se invitabat Delphidem, atque hic oculis simulato pudore humi dejectis eam conveniebat, et postea alloquebatur verbis blandis iisque verecundis. Hæc omnia non sunt accommodata puellæ pauperiori et ab humili stirpe prognatæ. Postremo accedit ad hæc, ut verba poetæ *κἀμφιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τᾶς Κλεαρίστας* per se non demonstrent, quod iis demonstrari interpretes volunt, significatam esse illam vestes mutuandi consuetudinem. Possunt enim nihil aliud denotare nisi: postquam me ornavi Xystide Clearistae. Nunc autem omnis explicatio pendet ex nomine Clearistæ. Quæ illa fuerit ignoramus, quum ne Scholiastes quidem de ea quidquam adnotaverit. Quapropter conjectura tantum id assequi licet, quod verisimilitudine commendatur quam maxima. Id autem mea quidem sententia hoc est. Quum *τᾶς* optima codicum auctoritate nitatur ideoque certa ac definita Clearista designetur: pateat necesse est, fuisse Clearistam satis notam com-

munique fama Syracusanarum celebratam mulierem (de quo usu articuli fusius exposuit Hermannus in præfatione Iphigeniæ Aulidensis.). Simætha porro quum non viveret humili condicione, sed nobilioribus puellis sit adnumeranda, putanda est vestimentum illud (*τὰν ξυστίδα*) proprium possedisse. Hæc si recte conjecimus quæritur, quid sit *ἁ ξυστὶς τᾶς Κλεαρίστας*. Ego quidem suspicor signari vestimentum quoddam muliebre, quod nomen traxit a Clearista. Hæc enim sive puella sive fœmina videtur in ordine earum fuisse, quas etiam nostrates puellæ atque uxores lubentissime adire consuerunt, et quæ vulgari sermone audiunt *Putzmacherinnen*. Ac nescio an nova elegantique quadam forma vestium conficiendarum *(neumodischer Zuschnitt der Kleider)* apud Syracusanas ita claruerit hæc Clearista, ut genus quoddam vestimentorum immortalitati mulierum confabulantium consecraretur. Similiter judicat Greverus, quamquam explicatius non demonstravit. Sed hanc quæstionem mittamus, quoniam et alia conjici possunt, nec testimoniis deficientibus certi quid statui posse videtur. Illud unum tantummodo pro certo affirmare ausim, non significasse poetam illum morem vestium mutuandarum.

V. 88. *καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ·*

Dativum *θάψῳ* primus in poetam intulit ex conjectura H. Stephanus, quem Meinekius propterea sequutus est, quod adiectivo *ὁμοῖος* apud Theocritum constantur dativus adjungatur. Verum tamen nondum repudiandam esse omnium librorum scripturam putaverim, partim quum etiam præpositio *ποτὶ* huic adjectivo adjuncta inveniatur: XV, 10., partim quum partitiva quædam notio huic loco magis convenire videatur. Nam Simætha perturbatione animi erat affecta et febri acuta (*καπυρὰ νόσος*) laborabat, in quo morbo color faciei sæpe mutatur, quapropter etiam *πολλάκι* vulgari significatione positum esse existimo. Genitivum etiam probat Spitzner. Exc. XXVI in Il. p. IL. — v. 89. Similis coloris est Apoll. Rhod. II, 201. *ῥινοὶ δὲ σὺν ὀστέα μοῦνον ἔεργον.*

V. 112. *καὶ μ' ἐσιδὼν ὥστοργος, ἐπὶ χθονὸς ὄμματα πάξας,*

Hunc locum plane ineptum dicit Greverus (*Kleine Beiträge* p. 39.), cujus ipsa verba ne argumenta infringere videar adscribam: „*ist durchaus nicht motivirt, ja für den Jüngling albern, und nur für das Mädchen passend, welches alle Zeichen von Verlegenheit, wie sie die Ueberraschung und ungehofft schnelle Erfüllung einer süssen Hoffnung herbeiführt, blicken liess. — — — Aber, noch seltsamer! er schlägt die Augen nieder, nachdem er das Mädchen schon dreist angesehen hat, oder vielmehr er thut beides zu gleicher Zeit, welches unmöglich ist.*“ Itaque corruptam esse putat orationem contextam, in quam audacissime grassatur. Sed id vereor ut iis persuadeat, qui hunc

locum accurate perspexerint. Oculos in terram demittere nihil aliud est nisi signum hominis cogitabundi. cf. Hom. Iliad. III, 216.

> ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς,
> στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας,

Huc adde Virgilianum illud:

> Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
> Aeneas Anschisiades et fidus Achates,
> Multaque dura suo tristi cum corde putabant.

Duos alios locos jam attulit I. Meursius in Specilegio ad Theocr. idyllia L. B. 1597. p. 14. In nostro loco simul apparet, Delphidem cogitantem, quibus verbis puellam sit allocutura, fingere speciem pudoris (de vero pudore VIII, 75. κάτω βλέψας.). Deinde Delphidem puellam audacibus oculis *(dreist)* intuitum esse non latet in verbis poetæ; sed is error in eo niti videtur, quod Greverus non attendit prolepsin adjectivi ὥστοργος, quem usum adjectivorum (ut prætermittam subtilissimam disputationem Bernhardy. *Wissenschaftl. Syntax.* p. 428.) nuper diligenter illustraverunt Koch. in Luciani Char. Excurs. I. p. 52—58. Jacob., vir elegantis ingenii, in Quæst. Epic. partis II cap. IV. Illud denique, quod oculos solo figere atque puellam intueri eodem tempore factum esse dicit Greverus, refutatur aoristo μ' ἐσιδὼν i. e. simul ac me adspexit. Alterum si voluisset, quod Greverus demum ingerit atque obtrudit, scripsisset poeta ἐσορῶν.

V. 126. εὕδον δ' αἴ κε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλασα·

Hermannus pro εὕδον olim proposuerat conjecturam εὖ δ' ἦς, postea Dahlio, Græfio, Kiesslingio, aliis probatam, nunc ipse in Eurip. Hecub. v. 650. vulgatam intactam relinquens interpretatur: „desinerem, finem facerem.“ Porro Kiessl. explicat: „contentus fuissem.“ Wuestemannus: „contentus fuissem, nihil amplius tentavissem.“ Alia explicatio, quæ mihi innotuit, est Wunderi, qui in Soph. Oed. Tyr. v. 65. hunc Theocriti locum reddit: „nihil fecissem *ich würde mich ruhig verhalten haben.*“ At hæ omnes interpretationes abstergunt poeticum colorem. Poeta dicit: dormivissem i. e. (si sensum spectamus) cubitum ivissem tuo osculo contentus atque tranquillo hilarique animo somnum cepissem. Solet enim apud Græcos, poetas præsertim, mobilis atque frequens esse transitus ab eo, quod vulgo vocatur antecedens, ad illud, quod est conseqens, ita ut hæc duo diversa dicendi genera haud raro in uno vocabulo confundantur et quasi in unam notionem coalescant. Id autem cadere puto etiam in vocabulum εὕδον. Nam vix cuiquam offensioni erit, si quis sententiam germanice sic conformatam proponeret: *Da hätte ich gute Nacht gesagt, hätte*

mich vergnügt über deinen Kuss zur Ruhe begeben, und wäre dann still eingeschlafen. Idem obscurius sensisse videtur Boissonadus, quamquam verba quæ apud illum sequuntur: „Erat enim nox intempesta" a mente poetæ abhorrent.

V. 145. . . . . . ἀλλ' ἦνθέ μοι ἅ τε Φιλίστας
μάτηρ τᾶς ἁμᾶς αὐλητρίδος ἅ τε Μελιξοῦς.

Summus Lobeckius Paralipp. p. 228. Not. 9. sic scribit: „In Id. II, 145. ἅ τε Φ. μάτηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ineptum est τᾶς γε ἐμᾶς· quis enim credat Simætham, quæ pompam spectatura vestem mutuam sumsit, tibicina usam esse serva? Paullo post v. 154. eadem ἁ ξεῖνα vocatur; ergo corrigere libet τᾶς Σαμίας." Afferre liceat, quæ mihi legenti hanc observationem subnatæ sint dubitationes. Primum quidem non invenio idoneam caussam, cur Lobeckius spreverit scripturam τᾶς ἁμᾶς valde probabilem, quum turpis tollatur vocalium litterarum concursio atque particula γε inducatur, quæ omissa est in permultis codicibus. Deinde pronomen possessivum intelligendum esse existimo eo sensu, ut sit tibicina quae in eodem loco nobiscum habitat. Porro quid de veste, quam Simætha mutuam sumpserit, sentiam supra exposui. Postremo vocabulum ἁ ξεῖνα tum demum tantum valere putaverim, si vel exiguum extaret vestigium, ex quo illam peregrinam fuisse Samiam colligere possemus. Has igitur ob caussas ego quidem non ausim hanc conjecturam imponere verbis poetæ. Neque magis necessaria videtur emendatio Hermanni pro αὐλητρίδος Scholiasta potissimum adjutore (nam in vestigiis codicum, quæ affert Hermannus, facilius agnoscas librariorum errores) proponentis αὐλιστρίδος, quod sublestæ fidei vocabulum iterato commendavit in censura editionis Meinekianæ (in Zimmermanni Diurnis antiq. stud. anni 1837. p. 228.). Non est autem, quod tibicinam relegemus, si ea, quæ supra disputavi, a probabilitate non prorsus abhorrent.

V. 150. κεἴτε νιν αὖτε γυναικὸς ἔχει πόθος εἴτε καὶ ἀνδρός,
οὐκ ἔφατ' ἀτρεκὲς ἴδμεν, ἀτὰρ τόσον· αἰὲν ἔρωτος
ἀκράτω ἐπεχεῖτο, καὶ ἐς τέλος ᾤχετο φεύγων,
καὶ φάτο οἱ στεφάνοισι τὰ δώματα τῆνα πυκάσδεν.

Ita hi versus scribendi videntur. κεἴτε præbent sex codices in iisque optimus K. Quæ forma quin orta sit ex mala pronunciandi ratione dubito. Similiter dicitur κεἰς, quod Meinekius Mosch. I, 14. intactum reliquit, sed Bio I, 47. Theocr. XVIII, 15. in κἠς mutatum recepit, idque omisso iota subscripto, quamquam apud eum κἦπε, κἦτε alia leguntur. Tum νιν scriptum est e conjectura. cf. Muehlmann.: Leges Dialecti etc. p. 128. Porro supra distincta est oratio post τόσον. Meinekius κἦτε servavit et colon posuit

post ἴδμεν et pro αἰὲν recepit οὕνεκ' ex cod. Vat. Sed οὕνεκα videtur glossema esse Scholiastæ, cui oratio offensioni fuit. Fuit immerito ut arbitror. Quam sæpe enim mobilis transitus fiat a sermone aliunde suspenso ad orationem directam, notum est. Atque hæc oratio directa huic loco maxime convenit, præsertim cum antea præsentia (ἐρᾶται, ἔχει) posita sint, postea propter sententiæ conformationem sequantur imperfecta. Quæ si recte scripta sunt, sensus est: Teneatne eum puellae desiderium an pueri, id se certo scire negabat, ἀτὰρ τόσον sc. ἔφατ' ἀτρεκὲς ἴδμεν, sed hoc tantum: semper in honorem (sive nomen) sui amoris (sive puellæ sive pueri) merum infundi sibi jubebat. Wuestemannus dicit: „genitivus ἀκράτω habet, quo defendatur.“ Nonne est tritissimus genitivus partitivus, nobis quoque ille non inusitatus (*Und es schenkte der Böhme des perlenden Weins.*)? Non moror autem Greverum adnotantem (*Kleine Beiträge* p. 44.): *Was den Genitiv Ἔρωτος betrifft, so ist οἶνος oder κύαθος zu suppliren;* quod redolet doctrinam Scholiastæ. Porro „ᾤχετο φεύγων celerrime se abripuit“ Wuestemannus; in latina interpretatione apud Kiessl. „celeriter abiisse.“ At celeritatis notionem quam etiamnum statuunt grammatici *) ab hoc verbo abesse, atque potius verbum οἴχομαι adjuncto participio nihil significare nisi nostrum *fort*, *weg*, mihi quidem persuasum est, ergo h. l. aufugit *er eilte fort.*

V. 156. καὶ παρ' ἐμὶν ἐτίθη τὰν Δωρίδα πολλάκις ὄλπαν.

Wuest. Scholiasten refutans credit, hanc ampullam oleariam pro Delphidis condicione et pro ejus usu e corio factam esse, Doricam autem dici, quæ Atticis λήκυθος appelletur. Id verisimile est collegisse Wuestemannum ex Schol. „ἡ δερματίνη λήκυθος.“ Sed non spernenda est auctoritas Etym. M., ubi p. 623, 4. hæc leguntur: εἴρηται δὲ παρὰ τὸ οἱονεὶ ἐλαιόπιν τινὰ εἶναι, διὰ τὸ δι' αὐτῆς ὀπιπεύεσθαι τοὔλαιον, quocum consentit unus e Schol.: ὄλπις οἱονεὶ ἐλαιόπις, atque sermo ille jocularis apud Athenæum VI, 12. Quis vero per corium oculis perspicere potest? Quapropter facilius credas, juvenis ampullam fuisse vel corneam, ita ut ἡ δερματίνη, quod apud Scholiasten legitur, mutetur in κερατίνη, vel vero etiam ex metallo quodam confectam. Nam nobiliores utebantur ampullis vel argenteis (Theocr. XVIII, 45.) vel aureis (Hom. Od. VI, 79.) vel ex alio

---

*) veluti Rost. §. 129, 5. vertens ᾠχώκει φέρων „*hatte eilends fortgetragen.*“ Kuehner. in Gr. maj. § 664. et in Gr. scholarum usui destinata §. 574. interpretatur ᾤχετο φεύγων: „celeriter fugiebat.“ Rectius judicat Matthiæ. Gr. §. 561. c. p. 1305. ed. III. Atque pro vera hujus verbi significatione jam sæpe propugnavit vir acutissimus Mehlhorn. e. c. in indice Anthologiæ Græcæ, Glog. 1827 editæ, p. 107, in dissert.: „de adjectivorum pro adverbio positorum ratione et usu 1828 p. 9. Nota r.;“ in Ephem. Hallens. in censura egregii Lexici Sophoclei, quod composuit Ellendt. Utinam Mehlhorn. minora scripta, ab ipso separatim emissa, mox edat in unum librum collecta.

metallo fabricatis, quam ob rem etiam hoc loco ampullam ex metallo confectam intellexerim. Doricam autem dici ampullam non ob ipsum vocabulum, sed ob Delphidis Myndii patriam, unde secum eam attulisse putandus sit, consentaneum est.

V. 159. legendum esse suspicor *αἰ δέ τι καί με λυπεῖ.* Prius *δέ τι* si vera est Boissonadi adnotatio: „Est *δέ τι* etiam in codd.“ In quibus? Nam quid intersit h. l. inter particulas *ἔτι* et *καὶ* difficile est intellectu; posterius cum Hermanno.

V. 161. „*ἐν κίστᾳ,* cistam secum attulisse putanda est Simætha.“ Wuestem. Id neque intelligo unde collegerit, neque ad quem usum cistam secum attulisse putanda sit Simætha perspicio. In voce *ὑπέσταν* Kiesslingio adsentior comparans præterea V, 20. *τὰ Δάφνιδος ἄλγε' ἀροίμαν.* Apoll. Rhod. IV, 64. *τέτλαθι δ' ἔμπης, καὶ πινυτή περ ἐοῦσα, πολύστονον ἄλγος ἀείρειν.* Extremum hujus idylli versum vertit Hermannus Opusc. V, p. 59: per orbem noctis dispersae stellæ, nescio an recte.

Idyllium III.

V. 7. *τὸν ἐρωτύλον.* „Respondet Plautinum amatorculus. Deminutivæ voci ironiæ notio subest.“ Ita Wuestem. Kiessl. silet. Sed quid significat articulus, in quo non temere offendas? Amicus quidam in litteris ad me datis scribit: „Memini me legere alicubi vocabulum *τὸν Ἐρωτύλον* majuscula littera exaratum atque ita explicatum, ut notet parvum deum amoris.“ Adsentior. Neque tamen invenire potui, quis vir doctus illud protulerit præter Scholiasten in h. l., qui immerito scripsit *οὐχ, ὥς τινες, κύριον.* Nam ne intellexisse quidem videtur, quid *ὄνομα κύριον* (h. e. parvus deus amoris) sibi vellet. Est igitur *ὁ Ἐρωτύλος* nostrum *dein kleiner Liebesgott*, vox in pastorum sermone amoris significandi caussa usitata, unde simul apparet non inesse ironiam, quam subesse putat Wuestem. Fortasse etiam Battus IV, 59. amatam appellat *τὰν κυάνοφρυν Ἐρωτίδα* eo sensu, ut sit *seine kleine Liebesgöttin mit den dunkeln Augenbraunen.* Ejusmodi blanditias pastorum sermoni admodum convenire patet ex pluribus exemplis. cf. X, 33. *χρύσεοι ἀμφότεροί κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.* h. e. tamquam dei.

V. 8. *ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν,*
νύμφα, καὶ προγένειος ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς.

Priorem sententiam vulgo efferunt per interrogationem, quam cur intactam reliquerit etiam Meinekius miror, quum ipse in II, 20. verissime judicare videatur, obstare signo interrogandi particulam *τοι.* Porro vocabulum *προγένειος* Kiessl. et Wuestem. accipiunt „de mento prominente.“ Accommodatius mihi videtur intelligere barbam promissam suadentibus etiam Scholiasta (*ἤγουν, προμήκης τὴν γενειάδα* atque Virgilio Ecl.

VIII, 34. „promissaque barba", ubi cf. Voss. p. 111. ed II. Nam Th. XX, 8. *τὸ γένειον* signif. barbam. Similiter VI, 3. *ἡμιγένειος.* ib 36. *τὰ γένεια.* XI, 9. *ἄρτι γενειάσδων.* Ceterum de suspendio cf. etiam Calpurnium Ecl. III, 86.

Quodsi turpis amor precibus, quod abominor, istis
Obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa
Ilice.

V. 15. *νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας*
μασδὸν ἐθήλαξε, δρυμῷ τέ νιν ἔτραφε μάτηρ,

Wuestem. adnotavit: „Alii vulgo *ἐθήλαζε,* pro quo Kiessl. *ἐθήλασδε.*" At forma *ἐθήλασδε* non profecta est a Kiesslingio, sed extat in codicibus. Eandem formam recepit etiam Meinekius. Ego vero nondum falsam putaverim Spohnii (Lectt. Theocr. Specim. I. p. 12.) dubitationem, quin in quibus vocabulis *σδ* litteræ nimis vicinam haberent litteram *ϑ*, Theocritus illas pro *ζ* posuerit; quamquam h. l. magis placet aoristus propter sequentem aoristum per particulam *τε* (non *καὶ*) adnexum. Porro scribit Wuestem.: „Attende ad dativum *δρυμῷ,* quo locus exprimitur. Qui usus valde infrequens est." Cur valde infrequentem dicat hunc usum non intelligo, quum legenti statim in mentem veniant exempla poetarum permulta, in quibus hæc principalis notio dativi invenitur. Tritissima sunt Homerica: *μυχῷ, αἰθέρι ναίων, εὐρέϊ πόντῳ, οὔρεσι* alia (locos ubique obvios suppeditat index Seberi), notissimum Sophocleum *ἀλλ' ἔα με ναίειν ὄρεσσιν* (Oed. Tyr. 1415). Nec minus nota sunt ex prosaica oratione *Δωδῶνι, Μαραθῶνι Σαλαμῖνι, Ἐρχίασιν* (Plat. Alcib. I. p. 123. C.), alia. Itaque satius fuit tirones ablegare ad grammaticorum compendia (Rost. §. 106, 1. e. Matthiæ. §. 406, b. Kuehner. Gr. min. §. 492. Bernhardy. p. 80, 7.)

V. 21. *τὸν στέφανον τιλαί με καταυτίκα λεπτὰ ποησεῖς,*

Wuestem. verba ita jungit: „*κατατιλαί με ποιησεῖς αὐτίκα* [excidit haud dubie *λεπτὰ*] *στέφανον.* Præpositio *εἰς* in his omitti solet. cf. Id. IX, 25. *πέντε ταμὼν πέντ' οὖσιν.*" Hanc observationem nescio an ipse nunc improbet. Meinekius retinuit *καταυτίκα,* quam formam jam Vossius tueri conatus est. cf. etiam Boisson in Anecd. Græc. T. IV. p. 319. quamquam aliter judicat Spitzner. in Iliad. X, 273. Ego nondum adducor, ut vocem *καταυτίκα* composito *παραυτίκα* [cf. Lobeck. in Phryn. p. 47. extr.] satis defendi negem. Deinde miror, quod admisit Wuestem. (ut olim Causaubonus et Vossius in Not. p. 19. volebant) ellipsin, quæ juvenes a vero abducit. Vocabulum *λεπτὰ* potius adverbialiter accipiendum est. Comparari quodammodo potest nostrum *eine Sache klein zerreissen, Steine klein schlagen,* quamquam in ejusmodi formulis potius inest notio rei effectæ.

Neque magis admittenda est in Id. IX, 27. ellipsis εἰς et μέρη cum Schæf. in Lamb. Bos. p. 683,id quod probavit Wuestem., sed πέντε ταμεῖν arcte cohaeret, sicuti germanice dicimus *fünftheilen*. Comparari potest Hom. Od. XII, 388., ubi Juppiter fulminans dicit: τυτθὰ — κεάσαιμι, quod respondet populari nostro *kleinspalten*, quamquam germanicum vocabulum de findente ligna usitatius est.

V. 27. καἴκα δὴ 'ποθάνω, τόδε μάν τεοι ἁδὺ τέτυκται.

Hæc probabilis videtur hujus loci scriptura. Particula δὴ pro μὴ est conjectura Græfii, in quam incidit etiam Briggsius. Altera conjectura Bergkii proposita in Zimmermanni Diurn. antiquariis anni 1837. p. 444. αἴκα πη (ut omittam rationem dialecti, quæ postulat πα sicuti VII, 149. ἆρά γέ πα)propterea improbanda videtur, quod locus duobus versibus proxime prægressis tam definite indicatus est, ut quomodo notio alicubi sive aliquando, aliqua ratione, h. l. cogitanda sit non pateat. *Καἴκα* i. e. καὶ εἴ κεν cf. Matth. §. 10. p. 56., non vero: καὶ εἰ καί, qui error est Greveri. Deinde τεῖν pro vulgato τεόν, quod a Græci sermonis consuetudine recedit, primus conjecit Greverus (*Kl. Beitr.* p. 46.), postea in idem incidit Bergkius l. l. Sed τεῖν pronomen ὀρθοτονούμενον huic loco non satis convenit. Quapropter verisimilior videtur, quæ conjectura simul propius accedit ad ductum litterarum, τεοι i. e, σοι. cf. quæ apud Maittair. Gr. ling. dial. p. 265. ed. Sturz. ex Hesychio et Apollon. afferuntur. Pronomen τόδε denique pro τόγε flagitare videtur ipsa sententia.

V. 28. ἔγνων πρᾶν ὅκα μευ μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με
οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτιμαξάμενον πλατάγησεν,
ἀλλ' αὔτως ἁπαλῶ ποτὶ πάχεος ἐξεμαράνθη.

Quotquot inspicere mihi licuit interpretes Theocriti, ex difficultate hujus loci se ita expediverunt, ut illud ποτιμαξάμενον vel corrigerent, vel aoristum medii passiva significatione positum esse adnotarent. At utramque rationem ferri nullo pacto posse, vel leviter attendenti pateat necesse est. Loci emendandi conatus non est quod diutius moremur, quia præter necessitatem emendatum est. Itaque statim pauca de iis dicam, qui apud Theocritum quoque exempla invenisse sibi visi sunt, unde passivam significationem aoristi medii demonstrarent. Vide quos viros doctos attulerint Kiessl. et Wuestem. in Th. I. 26. et posterior in III, 29. quibus addi alii possent. At omnes locos, quos etiamnum et grammatici *) et scriptorum interpretes ad hanc

*) cf. Matthiæ. §. 496, 5. p. 1107. sq. ed. III. Kuehner. Gr. maj. §. 399. Rost. §. 114, Not. 3. ed. V. Rectius nunc judicat Kuehner. in Gr. in scholarum usum concinnata. §. 344, 3. sic docens: *Das Futur und der Aorist des Mediums haben immer nur reflexive (oder intransi-*

enallagen temporum probandam pariter ex aliis scriptoribus atque ex Theocrito laudaverint, esse vel corruptos vel perperam explicatos, hodie constat inter multos, ita ut verissime scripsisse putandus sit Hermannus de emend. rat. Gr. Gr. p. 236.: **Nec sane, puto, quisquam aoristi medii ullum poterit exemplum proferre, quod vere habeat significationem passivam.** Quod quam sit accommodatum etiam Theocrito, postea elucebit. Ego enim hoc loco in juvenum usum (ut loci sub unum conspectum veniant) illustrabo deinceps omnia exempla Theocritea, quæ sunt a recentissimis quoque interpretibus ad sustinendam istam enallagen protracta.

---

tive) Bedeutung, nie passive . . . . Der Gebrauch des medialen Fut. und Aor. statt des passiven ist überall nur scheinbar." additis paucis exemplis. Quum autem nostri discipuli Rostii utilissimo sane compendio utantur, adscribam ego propter discipulos omnium, quæ in hanc rem a viro docto l. l. congesta sunt exempla, veram explicationem. Sequor in ea re ordinem a grammatico observatum. Eurip. Hipp. 27. *Φαίδρα — κατέσχετο ἔρωτι* i. e. *Phädra liess sich von der Liebe fesseln (ergreifen, hinreissen, bezaubern).* — Plat. Phædr. p. 244. E. *λύσιν τῷ ὀρθῶς μανέντι καὶ κατασχομένῳ τῶν παρόντων κακῶν εὑρομένη dem, der auf rechte Art in Wahnsinn versetzt war und sich davon ergreifen liess, Rettung aus den obwaltenden Drangsalen erfindend.* — Hom. Od. XV, 384. *ἠὲ διεπράθετο πτόλις ἀνδρῶν εὐρυάγυια* i. e. intransitiva verbi potestate *ob die weitdurchbahnte Stadt der Männer zu Grunde ging.* — Od. VIII, 125. *οἱ δ' ἐλίποντο sie blieben zurück* (vix opus est ut germanice addas *für sich*), contra: *sie wurden zurückgelassen* græce dicendum esset *ἐλείφθησαν.* — Od. IV. 710. *ἢ ἵνα μηδ' ὄνομ' αὐτοῦ ἐν ἀνθρώποισι λίπηται; etwa damit ihm nicht einmal sein Name unter den Menschen übrigbliebe.* — Herod. IV, 84. de Oebazi filiis occisis addit: *καὶ οὗτοι μὲν ἀποσφαγέντες, αὐτοῦ ταύτῃ ἐλίποντο* i. e. *und diese . . blieben ihm dort zurück.* — Deinde Rostius laudat ex Pausan. IV, 27. *ἀνεύρετο.* At loci corrupti nihil probant. Nam in illo Pausaniæ loco legendum est *ἀνεύρητο,* quam scripturam Siebelis, vir summe reverendus, quem totum in Pausania habitare præstantissima ejus editio ubique testatur, in contextum jam pridem recepit. Verba sunt: *ὡς δὲ ἡ τελετή σφισιν ἀνεύρητο, ταύτην μὲν, ὅσοι τοῦ γένους τῶν ἱερέων ἦσαν, κατετίθεντο ἐς βίβλους.* cf. Sieb. in Vol. II. p. 149. — Od. IV, 703. *αὐτοῦ λύτο γούνατα es lösten sich seine Knie.* — Il. XII, 354. XVI, 813. *μίκτο δ' ὁμίλῳ er mischte sich unter die Menge.* — Il. XV, 645. *στρεφθεὶς γὰρ μετόπισθεν ἐν ἀσπίδος ἄντυγι πάλτο,* quod Spitzner. Excurs. XVI. p. LVI. minus dilucide interpretatur: ei **injectus**, in eo **offensus** est, dilucidius J. H. Voss, *denn wie herum er sich drehte, da stiess er sich unten am Schilde;* possumus vero etiam reddere: *da prallte er an den Rand des Schildes.* — Herod. VIII, 90. *τῶν τινες Φοινίκων, τῶν αἱ νῆες διεφθαρέατο κτλ.*. Bæhr. haud cunctanter probare potuit Hermanni emendationem *διεφθάρατο,* in adnotatione commemoratam. — Hesiod. Sc. H. 173. *ἤδη γάρ σφιν ἔκειτο μέγας λίς, ἀμφὶ δὲ κάπροι δοιοί, ἀπουράμενοι ψυχάς.* [*λῖς, λῖν* ex præcepto Aristarchi atque Herodiani rationem tutissimam censet Spitzner. in Il. XI, 239., quocum consentio; secus statuunt Gœttling. l. l., Meinekius cf. Id. XIII, v. 61. *λῖς,* v. 6. *λῖν,* Lobeck. Paralipp. p. 84.]. Hunc locum verissime explanavit Hermannus: *das Participium geht auch auf den Löwen: ein Löwe und zwei Eber lagen da, die einander das Leben geraubt hatten.* Opusc. VI, 1. p. 198. atque eadem repetiit ratione habita Kuehneri in Zimmermanni Diurn. antq. anni 1836. p. 899. — Exempla duo Theocritea, quæ apud Rostium sequuntur, supra illustravi. Quæ Meinekius olim monuit in locum Euphor. p. 116, a Rostio

1) Id. I, 25. *αἶγά τε τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι,*
ἃ δύ᾽ ἔχοισ᾽ ἐρίφως ποταμέλξεται ἐς δύο πέλλας.

Kiessl., Wuestem., Passovius in Lexico s. v. *προςαμέλγω* passive accipiunt *ποταμέλξεται*, sed verba significant proprie capram, quæ mulgeri se patietur (i. e. si sensum spectamus) capram, quæ — lac suum præbebit, *eine Ziege, welche, obgleich sie zwei Böckchen zu ernähren hat, ihre Milch in zwei Gelten geben wird.* Id docere quodammodo jam potuit imitatio Virgiliana Ecl. III, 30. (quamquam latinus poeta rem in vitulam transtulit) „bis — venit ad mulctram," in quem locum Heynius p. 103. ed. Wagner. præterea recte interpretatus est verba *ἐς δύο πέλλας*. Similiter Horat. Epod. XVI, 49. „Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ." Porro quæ verba Simætha dicit

2) Id. II, 74. *καμφιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τᾶς Κλεαρίστας.*

non sunt, ut in latina interpretatione apud Kiessl. legitur, ornata (similiter in Passovii Lexico 5. v. *ἀμφιστέλλω mit einer Xystis geschmückt*), sed significant: postquam me ornavi.

3) Id. III, 29.

in quem locum fecimus hanc digressionem. De hoc loco ipse Mehlhorn. „de adject. pro adverb. positorum ratione et usu p. 12. Not. v." sic scribit: „et lectio incerta,

---

atque ab ipso Meinekio in Theocr. III, 29. prioris editionis allatum, ea dubito quin ipsi hodie probentur, quum tota adnotatio in altera editione Theucritea suppressa sit. — Hom. Od. VIII, 36. *κούρω δὲ δύω καὶ πεντήκοντα κρινάσθων κατὰ δῆμον.* i. e. 52 *junge Leute sollen im Volke sich selbst auswählen.* — Pindar. Pyth. IV. 432. *ἤλπετο δ᾽ οὐκέτι οἱ κεῖνόν γε πράξασθαι πόνον,* difficilis sane locus est. Aoristus non potest offendere post verba sperandi, optandi iisque cognata, ubi sermo est de re cito prætereunte. [Alii aliter explicant, atque hunc usum Aor. vel arctioribus vel latioribus circumscribunt limitibus. cf. quos attulit non paucos O. F. H. Schwalbe in libello, cui indicem fecit: *Beitrag zur historischen Entwickelung der Lehre von den Temporibus und Modis des griech. Verbums.* Magdeburg, 1838. p. 25. Nota prima, quibus adde Spitzner. in Il. II, 28, 112.] De hoc loco Pindarico Hermannus Opusc. VII, p. 142. hæc scripsit: quomodo media forma explicari possit difficile dictu est, quae si potest aliquo modo defendi, verbum hoc non de Jasone, quae Boeckhii sententia est, accipi potest, sed Pelias sibi *πόνον πράξασθαι* dicetur. At cur tum additum esset *οἱ*, ubi potius accusativum exspectamus? Tum statuit, futurum passivum *πράξεσθαι* esse a Pindaro positum. Et tamen videtur etiamnum scriptura vulgata ita defendi posse, ut vis medii, quam in nostrum sermonem convertere difficile est, ad Jasonem pertineat fere hoc sensu: *er hoffte nicht, dass er für sich* (*οἱ* i. e. suo commodo) *diese seine Arbeit durchführen würde.* Respici simul videntur socii, quorum opus erat auxilio. Si quis autem alteram probaverit rationem, ut Pelias sibi *πόνον πράξασθαι* dicatur, interpretabitur: *dass er sich diese Arbeit würde vollenden lassen.* At passivam potestatem nullus unquam medii aoristo obtrudere poterit. — Tantum igitur abest, ut illa exempla, quæ in hanc rem apud Rostium leguntur, aliquid ad sustinendam istiusmodi enallagen conferant, eam ut contra refutare videantur, si quidem aliam flagitant eamque veram explicandi rationem.

et ipsius rei interpretatio nondum liquida, ut ex Agath. Schol. epigrammate apud Kiesslingium apposito conjicere licet.“ At epigramma illud de cottabo intelligendum esse jam adnotavit Wuestemannus. Tum medium ποτιμαξάμενον fere constans est lectio, libris scriptis confirmata. Atque sana est hæc scriptura, quamquam non recte intellecta. Nam Kiessl. interpretatur „allisum“, pariter Wuestem. et Passovius in Lex., qui comparat Sophocleum πλευραῖσι προςμαχθέν (ἀμφίβληστρον.) Trach. 1055. Verum hoc exemplum nihil confert ad intellectum hujus loci, quia positum est passivum. Deinde προσμάττειν non sign. „allidere“, *mit Gewalt anstossen*, *anschlagen*, sed potius, ut ex Id. II, 59. ὑπόμαξον. XVII, 37. ἐςεμάξατο elucet, *daranschmieren*, *dicht anlegen*, *darandrücken*. Verbum denique ἐξεμαράνθη non recte videntur sic interpretari, ut sit „exaruit“ *(vertrocknete)*, sed rectius, arbitror, interpretandum est flaccuit *(es wurde welk)*, quam significationem in verbo vere latentem res ipsa videtur flagitare. Jam vero duplex, nisi fallor, ex difficultatibus loci exitus patet, unus ut verba reddamus: *Das Fernlieb, indem es sich dicht an die Hand angelegt hat*, alter ut interpretemur: neque telephilon, apprimi se passum, clarum sonum edidit (*das Fernlieb liess sich andrücken und klatschte nicht, sondern wurde so auf dem weichen Arme welk.)*. Posterior ratio mihi magis placet propter rem ipsam, de qua pauca adjiciam. Greverus *(Kl. Beiträge* p. 47.) hæc adnotavit: „*der Hirt nahm nämlich ein zartes Blatt, etwa Rosenblatt, fasste den Rand mittels dreier Finger so zusammen, dass ein mit Luft gefüllter Schlauch entstand, und stiess es auf den Armmuskel* (πῆχυς), *wodurch die zusammengepresste Luft mit einem Knalle ihre Hülle zerreisst.*“ At his verbis vereor ne aliena in Theocritum intulerit Greverus, commotus fortasse per unum Scholiasten in vocem πάχεϊ proferentem: τοὺς δακτύλους καλεῖ μεταφορικῶς ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος . . . . παρὰ τῷ ἀπαλῷ πήχει ἀντὶ τοῦ τοῖς ἀπαλοῖς δακτύλοις. Sed poetæ verbis magis convenire videtur explicatio Pollucis Onomast. IX. (127?)*) quam primus in hunc locum attulit J. Meursius, ex cujus Spicilegio p. 20. hausi: τὰ τοῦ τηλεφίλου καλουμένου φύλλα ἐπὶ τοὺς πρώτους δύο τῆς λαιᾶς δακτύλους, εἰς κύκλον ἐμβληθέντας, ἐπιθέντες τῷ κοίλῳ τῆς ἑτέρας χειρὸς ἐπικρούσαντες· εἰ κτύπον ποιήσειεν εὔκροτον ὑποσχιθὲν τῇ πληγῇ τὸ φύλλον, μεμνῆσθαι τοὺς ἐρωμένους αὐτῶν ὑπελάμβανον. Cum Polluce consentit unus ex Scholiastis, qui tamen minus dilucide rem explanavit. Verumtamen non solum pollici ac digito indici sinistræ manus complicatæ imponebant istiusmodi folium, sed etiam (teste alio Scholiasta in h. l.) humero atque cubito, quorum posterius locus Theocriti, in quo versamur, demonstrat. Poeta igitur si dicit folium illud apprimi se passum clarum sonitum non edidisse, simul indicat folium non esse discissum

*) Namque Onomast. ipsum, sicuti alia nonnulla, quæ h. l. afferunt Kiessl., Wuestem., Boisson., mihi quidem (id quod vehementer doleo) non sunt ad manus.

(*ὑποσχιθέν*), id quod fieri solet in claro sono edendo. Itaque nostri pastoris folium flaccuit tantummodo dextra manu compressum neque discissum est. Cæterum, apud nos puellas simili quidem modo per jocum explorare, num ab amasiis amentur, nemo ignorat, quamquam alia ratio est usitatior, qua minuscula floris notissimi *) folia decerpunt suppressa voce deinceps proloquentes: me amat, me non amat; cujus rei quilibet ex Goethiano Fausto recordatur. Sed talia Theocrito obtrudere, nisi qui levi quadam propensione ad res ludicras captus teneatur, nullus umquam audebit. Sed satis. In nostra re pergamus. Alius locus, in quo aoristum medii passive positum esse arbitrantur, est:

4) Id. VII, 109. *εἰ δ' ἄλλως νεύσεις, κατὰ μὲν χρόα πάντ' ὀνύχεσσιν*
δακνόμενος κνάσαιο καὶ ἐν κνίδαισι καθεύδοις,

Sed verbum *κνάσασθαι* est quod nos dicimus *sich jucken*, usitatum de eo, qui sibi ipse cutem vellit et stringit, ut dolorem lenire studeat. Quae significatio quam sit huic loco conveniens, quivis intelligit. Sensum loci jam recte indicavit Mehlhorn. l. l. his verbis: „Pan asperis scillae radicibus stimulatus se ipse fricabit.“ Huc addam simul duos alios locos, in quibus explicandis immerito videntur enallagen quandam ingerere, certe non accurate interpretis officio funguntur.

Id. XXIII, 26. . . . . *ἄρτι δὲ χαίρειν*
τοῖσι τεοῖς προθύροις ἐπιβάλλομαι.

Verbum „*ἐπιβάλλομαι* pro *ἐπιβάλλω* adjicio, applico, admoveo. Kiessl.“ adscripsit Wuestem. Totum locum latine vertit Kiessl.: „Jam vale tuo vestibulo adjicio.“ Nonne explicetur necesse est: me applico ad tuum vestibulum, *χαίρειν* (de quo usu infinitivi cf. Hermann. in Vig. p. 883. et 899. ed. IV.) ut te valere jubeam? Sequatur denique

Id. XXVIII, 12. *δὶς γὰρ ματέρες ἀρνῶν μαλακοὶς ἐν βοτάνᾳ πόκοις*
πέξαιντ' αὐτοενεί, Θευγενίδος γ' ἔννεκ' εὐσφύρω·
οὕτως ἀνυσίεργος,

[Vox *ἔννεκ'* (pro vulgato *εἵνεκ'*) æolica forma est, quam ed. Florent. et ex apogr. Ald. Brunckius præbent. Huic similes formas nuper congessit H. L. Ahrens.: De Græcæ linguæ Dialectis. Lib. I. Gottingæ 1839 §. 8. p. 59. Porro *αὐτοενεὶ* pro *αὐτοετεὶ* est conjectura sagacissimi Bergkii]. De hoc igitur loco sic dicit Wuestem.: „deponant tonsae vellera. — Ad *πέξαιντο* suppressum est *ἄν*: si per Theogenidem esset, bis oves tonderi deberent.“ Hæc omnia falso scripta esse mihi quidem persuasum est. Primum enim particula *ἄν* non est suppressa, sed recte abest, quia in optativo aperte latet sola optatio, quæ nulla condicione restringitur propterea, quod Theogenis *οὕτως ἀνυσίεργος*, proprie operum perfectrix i. e. ita laboriosa est. Nam dicere

*) Bellis perennis s. minor. *Günseblümchen, Maassliebe.* (Num mira inversio pro *Liebesmaass?*)

vult poeta: tam laboriosa est hæc mulier, ut una tonsura non sufficiat. Deinde verba *Θευγενίδος ἕνεκα* non possunt significare „per Theogenidem", sed tantum propter Theogenidem. Postremo medii potestatem verbi *πέξαιντο* (quam ob rem locum hic commemoramus) vix licet aliter interpretari atque: oves tondendo se praebeant. Etiamsi hæc omnia recte sensit diligens interpres, quod non ego in dubium vocaverim, dilucide tamen non enucleavit. Sed revertatur oratio mea, unde digressa est, ad tertium carmen.

V. 37. *ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἆρά γ' ἰδησῶ*
αὐτάν; ᾀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς,
καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐντί.

De oculi dextri palpitatione fere omnes laudarunt Muretum Var. Lect. T. I, p. 251. ed. Wolf.; sed præter eum J. Meursius quoque l. l. p. 20. triplicem veterum superstitionem accurate distinxit i. e. palpitationem, sternutationem, tinnitum aurium. Sunt hodie qui hunc locum explicent ex litteris Indorum, in quorum dramatibus palpitatio dextri oculi in viris, sinistri in fœminis faustum omen habeatur. cf. Jahnii Annal. Philol. et Pædagog. 1833. Vol. VII. fasc. III. p. 339. — Deinde voculam *ὧδε* Wuestem. explicat: „sic negligenter." At vero apud poetas bucolicos valet vis demonstrativa hic in his locis: Idyll. I, 106. 120. 121. III, 53. IV, 51. V. 33. 34. 44. 45. 46. 55. 62. 100. XI, 38. 61. 64. XV, 33. 78. XXV, 11. 14. 35. 54. Epigr. XVII, 4. Propria autem significatio ita locum habet in his locis: VIII, 81. XVII, 40. XVIII, 28. 31. XXIII, 49. XXIV, 133. XXV, 80. 133. XXIX, 21. XXX, 21. Bio. I, 62. Mosch. IV, 1. 7. 61. At metaphorica quadam potestate nusquam positum invenitur. — Porro omnes tres versus (37—39), quos supra adscripsi, non puto ego adnumerandos esse, quemadmodum volunt interpretes, caprarii carmini, quod incipit a versu sexto. Concinnitas quidem stropharum aperta est, neque mea sententia violatur. Nam primum sunt tres *) strophæ, binorum unaquæque versuum (6 et 7. 8 et 9. 10 et 11.), deinde hos distichos versus excipiunt octo strophæ, quarum quæque continet tres versus, illos quidem ita distinguendos, ut segregetur versus vicesimus quartus: *ὤ μοι ἐγὼ τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις;* **), quem versum caprarius pausa canendi facta recitare cogitandus est. Tum sequuntur, nisi falsa est mea opinio, tres versus, quibus suam cantilenam iterum interpellat caprarius

*) Quod Hermannus in Zimmermanni Diurn. antiq. anni 1837. p. 228. dicit: „*So ergiebt sich die regelmässige Form des Gesanges, dessen vier erste Strophen aus Distichen, die übrigen aus Tristichen bestehen*", in eo numerum quaternarium quivis haberet typothetarum peccatum, nisi in Hermanni Epit. Doctr. Metr. § 596. scriptum legisset: „In tertio carmine quæ caprarius canit a. v. 6. primo quatuor strophæ ex duobus versibus procedunt; deinde sequuntur decem [!] strophæ ex tribus versibus."

**) Haec vera, ut videtur, scriptura profecta est ab H. Stephano. cf. edit. Reisk. T. II, p. 24.

atque secum ipse loquitur faustum omen exponens. Quod ut sumam has habeo caussas. Primum per totam cantilenam prægressam utitur caprarius altera persona, qua ipsam puellam alloquitur; at hoc loco dicit *αὐτάν* eam et *ποτίδοι*, ubi, si verba ad cantum pertinerent, pronomen *σέ* et *ποτίδοις* exspectaremus. Huc accedit, quod h. l. puellam *οὐκ ἀδαμαντίναν* dicit, quum antea (v. 15. 16. 18.) eam durissimam atque adeo saxeam dixerit. At, inquiat aliquis, *αὐτάν* significat amatam, dominam (quam explicationem Kiessl. et Wuestem. proponunt), tum verba *οὐκ ἀδαμαντίνα ἐντί* dicta sunt nunc mutato caprarii animo, sicuti ferat ingenium amantium, ut puellam faciliorem habeat et molliorem. Verum enim vero posteriori ratione manifestum est vim poeticam carminis debilitari. Pastor enim postquam a levioribus argumentis (in qua re præstantissimum poetæ ingenium elucet) progressus est ad fortiora et graviora, postquam vel in fluctus marinos se immersurum esse minatus est, postquam igitur nihil intentatum reliquit, ut puellam ad prospectum permoveret, addit denique (excitaturus zelotypiam, nervosum profecto apud istas puellas argumentum!), se amaturum esse Mermnonis mercenariam, ergo puellam vilissimæ condicionis. Hic autem finem imponi cantilenæ, ut pastor ea, quæ v. 37—39. sequuntur, sibimet ipsi exponat, meo quidem sensu necesse est. Sed quamvis (ut ea quæ sequuntur spectemus) omnia caprarii argumenta excidissent eventu, non tamen excidit animo spes, fausto omine denuo excitata. Quapropter simul ad tranquilliorem animi statum redactus auguratur, se venturum esse in conspectum puellæ, atque ad pinum cantaturum. Hanc autem cantilenam, quam ad pinum decantare pastorem finxit poeta, inde a versu 41. inchoari atque versu 51. abrumpi, recte observarunt Greverus et Wuestemannus. In altero argumento, quod significet *αὐτάν* „amatam, dominam“, mea quidem sententia sumptum est pro vero, quod non est exploratum. Omnino illam observationem, quam exemplis illustratam primus proposuit Casaubonus in Theophr. Charact. c. 2. p. 34. ed. Fischer., interpretes veterum scriptorum sæpe repetierunt in singulis locis præter necessitatem.

Quum autem semel inciderim in illud pronomen, statim hoc loco sub unum conspectum enumerabo exempla Theocritea, in quibus explicandis pronomen *αὐτὸς* non satis recte intellectum esse mihi quidem videtur. Similiter atque in verbis *ἄρα γ' ἰδησῶ αὐτάν* intellexerunt pronomen:

1) Id. IV, 5. *αὐτὸς δ' ἐς τίν' ἄφαντος ὁ βωκόλος ᾤχετο χώραν;*

Sed *αὐτὸς* est simpliciter ipse, præsertim cum sequatur *ὁ βωκόλος*. Atque oppositionis notio, quæ in pronomine *αὐτὸς* semper sive aperte indicata sive tectius abscondita latet, etiam huic loco est accommodata; nam ipse bubulcus opponitur seni, cujus mentio fit in versu proxime prægresso. Porro

2) Id. VII, 4. . . . . εἴ τί περ ἐσθλὸν
χρῶν τῶν ἐπάνωθεν, ἀπὸ Κλυτίας τε καὶ αὐτῶ
Χάλκωνος,

Pronomen αὐτῶ „illo, nobili sc. viro. Sic αὐτός et ἐκεῖνος haud raro ponuntur.“ Wuestem. Sed jam sufficit, ut opinor, propria significatio ipso. Hoc autem pronomen addidisse videtur poeta propterea, quod Chalco homo fuit æqualibus Theocriti notissimus. Distinguitur igitur ab iis qui communiter χροὶ οἱ ἐπάνωθεν vocantur.

3) Id. VII, 69. καὶ πίομαι μαλακῶς μεμναμένος Ἀγεάνακτος
αὐταῖσιν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.

Fr. Jacobs. in Wuestemanni editione pronomini αὐτός hanc tribuit vim „ut oculos animumque convertat in rem, cui additum pronomen, et ut tectam quandam innuat antithesin.“ Fateor ego me non plane intelligere hanc rationem. Fortasse magis perspicua ratio hæc est. Pronomen αὐτός sæpe de eo ponitur, qui solus est, qui nihil habet adjuncti. Quod quadrare videtur in Theocriti verba, quæ tum hanc præbent sententiam: exhaustis etiam faecibus labium infigam ipsis calicibus, i. e. solis calicibus, ut nihil plane supersit. Non prorsus dissimilis locus est XXV, 277., ubi Hercules constituit αὐτοῖς δέρμα λέοντος ἀνασχίζειν ὀνύχεσσιν. Sed transeamus ad alium locum.

4) Id. X, 19. μωμᾶσθαί μ' ἄρχῃ τύ· τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος,
ἀλλὰ καὶ ὡφρόντιστος Ἔρως· μηδὲν μέγα μυθεῦ.

Hanc vulgatam scripturam servavit Meinekius, sed quo sensu verba acceperit ignoramus, quum nihil sit adnotatum. Wuestem. ita commentatur: „αὐτὸς pro μόνος poni satis tritum; notabilius vero, οὐκ αὐτὸς hic dici, ubi exspectabas οὐ μόνον.“ Verum hæc observatio legenti non satisfacit, quia multum interest, utrum αὐτός an μόνος ponatur. Nam αὐτός ipse significat aliquem ita solum, ut distinguatur a cæteris rebus, quæ ad eum pertinent. Ita in formula apud Atticos usitatissima αὐτοὶ γάρ ἐσμεν sumus hic ipsi, sed non cæteri, qui ad nos pertinent, h. e. sumus hic soli *(wir sind so unter uns allein)*, qua formula utuntur, qui se liberius uti inter amicos et familiares loqui posse indicant. *) Contra μόνος distinguit aliquem ab eo, quocum nihil habet communitatis. Inde dijudicanda sunt exempla Theocritea: II, 89. IV, 15. V, 85. XVIII, 12. XXI, 2. (ubi αὐτὰ est ipsa, non „sola,“ ut in latinis apud Kiessl. legitur). XXV, 181. Quæ quum ita sint, apparet verba οὐκ αὐτός h. l. non significare οὐ μοῦνος, quam formam poeta salvo metro ponere potuisset. Itaque alia ratio quærenda est. Hermannus (Opusc. V, p. 89.) proponit: μωμᾶσθαί μ' ἄρχῃ τύ· τυφλὸς δ' εἰ καὐτὸς ὁ Πλοῦτος, ἀλλὰ κτλ. addita hac

*) cf. quos laudavit interpretes Hermannus Opusc. I, p. 314. et in Viger. p. 733. ed. IV.

explicatione: „Irridere me occipis. Caecus autem si et ipse Plutus est, at etiam Amor incogitatus est caecus: ne te jactato. Non temere Pluti mentionem facit, sed ut notet Milonem, qui neque inops erat, ut ex v. 13. colligitur, et totum se dederat quærendæ pecuniæ. Ἀφρόντιστος Ἔρως ad illud lucri studium respicienti Batto dicitur activa potestate, qui omnia præter amari parvi pendit. Passive dixit Aeschylus Agam. 1386.“ Hactenus omnium princeps Hermannus. Sed huic rationi plures dubitationes opponi posse videntur, et primum quidem, quod, poeta si vere scripsisset εἰ χαὐτὸς, hæc scriptura oblitterari vix potuit. Tum nimis recedit a simplicitate poesis bucolicæ tota structura, cujus aliud reperire non potui exemplum. Postremo Pluti mentionem fieri, ut notetur Milo, qui neque inops esset, et totum se dedisset quærendæ pecuniæ, id unde colligi possit non video. Nam verba versus tertii decimi ἐγὼ δ' ἔχω οὐδ' ἅλις ὄξος non perspicio quid aliud significent nisi: ego autem ne aceti quidem affatim habeo, id quod ironice dictum est ratione habita Batti, qui amoris cura et sollicitudine agitatur. (De hoc versu infra pauca adjiciam). Itaque non probaverim ego Hermanni conjecturam. Mihi videtur locus lenissima medela, uno puncto addito, ad dictionis sanitatem redactus esse. Etenim comma post vocem ὁ Πλοῦτος positum si in signum interrogandi mutamus, et recte se habet pronomen αὐτός i. e. vel, adeo, et accommodata est sententia hæcce: Nonne vel Plutus caecus est? At etiam improvidus Amor: noli magnopere gloriari. Battus enim se excusare studet, quod puellam amet minime pulchram, atque se comparat cum deo Pluto, quem cæcum dicit, quia iste deus temere etiam non merentibus opes suas distribuit. Dicit igitur Battus Miloni: Tu nugaris de amore, neque cogitas, amorem omnia parvi pendere, si quis ejus stimulis agitatur.

5) Id. XV, 2. . . . . ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ· *)

Kiesslingii latina interpretatio „dominæ“ habet. Pariter αὐτᾷ explicavit Burchard. Anth. Gr. p. 248. Boissonadi adnotatio hæc est: „αὐτᾷ dictum cum emphasi ad servam de muliere libera et quæ heræ amica est heræ æqualis. Notum pronomen αὐτὸς de hero, de magistro. Infra 24, 50. Amphitryo servos compellat, aitque moræ impatiens: αὐτὸς ἄυτει.“ At abstinendum est istiusmodi interpretatione. Praxinoa simpliciter dicit: ei, qua voce Eunoa jam satis intellexerit, cui sellam apponere jussa sit. Cæterum cum verbis ὅρη δίφρον non recte compararunt Od. VIII, 443., quia ibi ἴδε πῶμα non sig-

---

*) In Meinekii editione αὐτῷ legitur, ut videtur, ex vitio typothetarum. Bachius in Anthol. Graeca scholarum in usum bene adornata (Hannoverae 1838.) p. 160. quin recte receperit cum Hermanno conjecturam Hemsterhusii δρίφον pro δίφρον, dubito. Nam neque libri praebent δρίφον neque Etymologi locus huc spectat. Theocritus imitatus est locum quendam Sophronis.

nificat: impone operculum, sed vide rectene sit clausum operculum. At verba ὅρη δίφρον αὐτᾷ respondent nostro: *sieh dich nach einem Stuhle für sie um.* Apta exempla, in quibus verbum videndi pari potestate positum est, cum hoc Theocriti loco contendit R. Kuehner. in Cic. Tusc. III, 19. p. 265. ed. II. — Addam ego denique notissimum locum, quem supra memoravit Boissonadus,

6) Id. XXIV. 50. ἄνστατε δμῶες ταλασίφρονες. αὐτὸς ἀΰτεῖ.

Pronomen αὐτός „herus, paterfamilias" fere ubique affertur. Et tamen ut illam interpretationem substituamus nulla cogit necessitas. Est potius αὐτός ipse, atque distinguitur, qui h. l. ipse vocatur, ab alio primario quodam ministro, cui ipse alias tradit mandata sua reliquis famulis perferenda. Sensus igitur est: ipse clamat, neque per alium vos vocari jubet. Sed redeamus ad tertium carmen.

V. 48. „ἄτερ μασδοῖο (Schol. μαστοῖο) τίθητι. Loquitur de Venere tamquam de matre puerum lactante, quod ineptum est. Scripsit ni fallor ἄτερ παστοῖο τίθητι, non removet a lecto geniali." Ita Meinekius, cujus conjecturam verbis poetæ jam interposuit N. Bachius in Anthol. Gr. p. 145. Sed fortasse scripturam librorum ita tueri licet, ut verba non de matre puerum lactante, quod sane ineptum esset, sed hoc modo intelligantur: ut eum ne mortuum quidem procul a pectore seponat i. e. eum cum summo amore amplectatur. Quod ut probem, facit locus Bionis I, 24. Ἀσσύριον γοόωσα πόσιν καὶ παῖδα καλεῦσα. „Mærebat Venus Adonin maritum et vocabat παῖ, παῖ." Extrema verba sunt Schneidewini (Conjett. Critt. p. 168.), qui γοόωσα probabiliter restituit.

Idyllium IV.

V. 4. ὁ γέρων explicatur a Grevero pariter atque a Wuestem. „custos gregis," quem poeta infra v. 58. in contemptum vocat γερόντιον, sed rectius judicasse videtur Fr. Jacobs. [cum Scholiasta in v. 58.] in argumento carmini præposito, hunc senem fuisse patrem Aegonis; quamquam quod addit Fr. Jacobs., sene viso pastores illos (inde a v. 58.) vernilia quædam de ejus lascivia jactavisse, ex ipso carmine non apparet. Facilius credas, pastores suopte ingenio ex idearum associatione, quam vocant philosophi, rediisse ad idem argumentum, unde exorsum est eorum colloquium.

V. 11. πείσαι κεν Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν.

Locus est vexatissimus, cujus explicandi diversas inierunt rationes. Sed nullus interpres respexisse videtur interpretationem Erasmi *), quam propterea adscribam:

---

*) In Erasmi Adagiis (minus adhuc in usum vocatis) Chil. IV. Centur. IV. proverb. XV. p. 912. editionis, quae Basileae a. 1559. apud Frobenium prodiit. Priore editione usus est J. A. Jacobs. praefat. p. LXII. Is autem multos locos omisit, ex quorum lectione interpreti utilitatis aliquid redundare arbitror.

„πείσαι τοι κτλ. i. e. Hoc quoque Milo lupis mox persuadeto rabire. Ubi quis animum inducit ad rem stultissimam, quam non aggrederetur, nisi insanus. Nam lupi insaniunt vel sua sponte, veluti si quis tyrannum instiget ad crudelitatem, cum plus satis sæviat suopte ingenio. Rabies proprie canum est, unde Scholiastes Theocriti putat hoc velut absurdum proponi. Sed canes aliquando rabiunt, lupi numquam non rabiunt.“ Hæc explicatio profecto digna fuit quæ respiceretur. Num vero in ea acquiescendum sit, nondum extra omnem dubitationem positum est. Liceat mihi meam addere sententiam. Primum particulam κεν pro vulgata τοι a Meinekio servata ex codice K., quem jam Spohnius (Lectt. Theocr. I, p. 15.) jure suo omnium praestantissimum dicit, recipiendam esse, vix est quod dubites. Eam particulam legisse videtur etiam Scholiastes, quum in triplici explicatione, quam de hoc versu proposuit, scripserit: διεγείραι ἄν. — πείσειεν ἄν. — ἐκμήνῃ ἄν. Deinde adsentior Erasmo, loquutionem esse proverbialem, sed in singulis verbis explicandis ea ratio mihi videtur simplicissima, ut τὼς accipiatur pro ὡς et λύκος pro nominativo: ὡς λύκος sc. λυσσᾷ. Tum sententia est: persuadere possit Milo, ut quis illico furiat sive insaniat, sicuti lupus furit i. e. Milo illico aliquem permovere possit ad maximam temeritatem.

V. 13. δειλαῖαί γ' αὗται· τὸν βωκόλον ὡς καλὸν εὗρον.

Ita versus distinguendus videtur; quo facto sententia fit multo vividior. Particula ὡς est exclamantis.

V. 20. λεπτὸς μὰν χὠ ταῦρος ὁ πυῤῥιχος. αἴθε λάχοιεν
τοὶ τῶ Λαμπριάδα τοὶ δαμόται, ὅκκα θύωντι
τᾷ Ἥρᾳ, τοιόνδε· κακοφράσμων γὰρ ὁ δᾶμος.

Omnes fere interpretes verba τοὶ τῶ Λαμπρ. δ. referunt ad demumAtticum, qui Lampra dicitur, præter Rumpfium, ex cujus sententia a Wuestemanno probata intelligendus sit δῆμος quidam Sybaritarum collato Diod. Sicul. XII, 11. Sed quid dicit Diodorus? τὰς δὲ λοιπὰς τέτταρας [sc. φυλὰς ὀνομάσαντες] ἀπὸ τῶν ἄλλων γενῶν, Ἰάδα, Ἀθηναΐδα, Εὐβοΐδα, Νησιῶτιν. Ergo quod nomen fuerit hujus tribus ignoramus, atque adeo num omnino δῆμος Sybaritarum istiusmodi nomine insignitus fuerit non liquet, quoniam nemo nominatim testatur. Demus Atticus autem non potest intelligi, quum verba non aptam haberent relationem. Quapropter verisimilius est nomen Λαμπριάδα esse patronymicum et significare hominem quendam Batto vehementer odiosum. Quod si recte sumptum est, intelliguntur tribules illius Lampriadae. Articulus non jam offendit. Comparari potest XIII, 5. ὡμφιτρύωνος ὁ χαλκιοκάρδιος, ubi Meinekius articulum ex cod. K. nunc adjecit, quamquam ego malim Ἀμφ. Nomen autem patronymicum esse conjeci

ex verbis Scholiastæ: *ὁ Λάμπριας, ἐξ οὗ ὠνομάσθη ὁ δῆμος.* — Tum *κακοφράσμων* Meinekius restituit ex cod. Harl. Fortasse eadem medela afferenda est Gregorio Cor. de dialecto Dor. § 107.

V. 35. Greverus (*Nachträge* p. 8.) observat: „*πιάξας τᾶς ὁπλᾶς bei der Klaue gefasst führte er den Stier? Ei, ei! eine sonderbare, unglaubliche, ja unmögliche Art einen Stier zu führen; ihn nach einem Orte zu führen. Auch passt πιέζω nicht recht von der Klaue, und wäre μάρπτω ohne Zweifel passender gewesen. Stand nicht vielleicht τῶν ὅπλων oder τοῖς ὅπλοις — bei seinen Waffen d. h. Hörnern im Texte? Da würde Alles zutreffen. Nur würde der Ausdruck ὅπλα für κέρατα etwas geziert sein.*“ Talia jam sat est audivisse, nam qui probet non facile quisquam invenietur. Scholiastes rectius intellexit verbum *ἄγειν* interpretatus: *παρασπάσας τῆς ὁπλῆς.* Apud Aelianum V. H. XII, cap. 22. de Titormo narratur: *τὸν μέγιστον ταῦρον ἄγριον ὄντα λαμβάνει τοῦ ποδός. καὶ . . . . ἕτερον τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ συναρπάσας τοῦ ποδός.* Quorsum igitur ejusmodi lusus ingenii?

V. 54. *ναὶ ναὶ, τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω τέ νιν· ἅδε καὶ αὐτά.*

De particulæ *τε* positu h. l. et v. 32. præter eos quos in usum vocavit Wuestem. conferas imprimis Hermann. in Soph. Philoct. v. 1412. ed. II. Sed hoc loco duo codd. *ἰδὲ* præbent pro *τέ νιν*, unde Hermann. in Orph. p. 815. *ἔχω νιν ἴδ'·* Meinekius conjecit: *ἔχω σφ', ἰδοὺ ἅδε καὶ αὐτά.* Mihi in mentem venit quæ ad litterarum ductus propius accedit conjectura: *ἔχω, τυίδ' ἅδε καὶ αὐτά* sicuti V, 30.: *τυίδ' ὁ τράγος οὗτος.* Omissum objectum mihi videtur accommodatum esse celeriter prorumpenti gaudio Corydonis, præsertim cum statim sequantur verba *ἅδε καὶ αὐτά.*

Idyllium V.

V. 5. Vocabulum *πόκα* „cum maxima ironia dictum ut IV, 7.“ observat Wuestem. At in utroque loco nulla inest ironia, sed verba cum acerbitate sive *σαρκαστικῶς* dicta sunt. Tum voces *Σίβυρτα* et *τὸν Συβαρίταν* v. 1. distinguendæ sunt, si rei explanationem spectas, ad quam aliquid facere videntur verba Varronis de Ling. Lat. lib. VII. pag. 108. ed. Bipont. (alia editione uti mihi non licuit): „Tres quum emerunt Ephesi singulos servos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit: Artemidorus, atque Artemam appellat; alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Jonia Jonam; aut ab urbe Epheso Ephesium: Sic alius ab aliqua alia re, ut visum est.“

V. 10. *οὐδὲ γὰρ Εὐμάρᾳ τῷ δεσπότᾳ ἦς τοι ἐνεῦθεν.*

Verba *τῷ δεσπότᾳ τοι* vulgo interpretantur *τῷ δεσπότῃ σου* coll. IV, 62. Etiam afferunt Greg. Cor. qui de dialecto Dor. §. 72. p. 258. ed. Schæf. locum sic reddit: *οὐκ ἦν*

τῷ δεσπότῃ σου ἐγκοιμᾶσθαι. Sed hoc loco propter geminatos dativos *Εὐμάρᾳ τῷ δεσπότᾳ*, ad personam spectantes, quam non alloquitur Laco, durior videtur hæc ratio, quam ut possit probari. Tum Gregorius non tam voculam *τοι*, quam totius sententiæ vim reddidisse putandus est. Porro Wuestem. in observatione critica adscripsit: „Gerhard. Lectt. Apollon. p. 154. conjicit *ἦς τι ἐνεύδεν.*“ At id non potui ego apud Gerhardium reperire. Illud *τι* potius præbent Bar. Laud. teste J. A. Jacobsio, atque in contextum recepit Boissonadus addita hac adnotatione: „Recepi *τι* e codd. Ut hic *τι ἐνεύδειν*, sic 17, 133. *λέχος ἰαύειν.*“ Sed hic locus allatus nihil probat, quia *λέχος* arcte cohæret cum *στόρνυσιν*. Omnino videtur illud *τι* illatum esse ab aliquo grammatico, atque scriptura vulgata *τοι* genuina. Eam autem ita explicaverim, ut *τοι* sit dativus ex familiari quodam convicio appositus. Pertinet igitur ad usum late patentem dativi, quem ethicum vulgo dicunt grammatici, ubi nos voculis *ja, ja doch*, sæpe uti solemus, ut confirmandi habeant potestatem. cf. Stallbaum. in Plat. Symp. P. 219. (p. 235. ed. II. quæ a. 1836 Gothæ prodiit). Quo usu in hunc locum translato sententia est: *Es war ja* (sive *dir) nicht einmal dem Herrn Eumaras* [*ein solches*], *um darauf zu schlafen.* Tamquam proverbium accepit verba Erasmus Ad. IV, 10. 63. p. 1038. Similiter IV, 62. *τό τοι γένος — ἐρίσδεις*, *Du wetteiferst ja an dem Geschlechte mit den Satyrn.*

V. 23. *ὗς ποκ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν.*

S u s o l i m c u m M i n e r v a c e r t a m e n i n i i t. Proverbium est, quod illustravit Erasmus in Adag. I. 1. 41. p. 38. Voculam *ποκ'* præbent duodecim codices. Quapropter nescio, cur Lobeck. Paralipp. p. 506. vulgatum *ποτ'* retinuerit, quum *Ἀθαναίαν ἔριν ἐρίζειν* usui sit accommodatum. — Post versum vicesimum quartum unum versum excidisse putat Wuestem. propter stropharum concinnitatem ubique observatam, contra hoc loco violatam. Mihi secus videtur. Versus 23 et 24 oppositi sunt versibus 21 et 22; sed ad versum 20 nihil respondet Comatas, quia nihil responderi posse videtur. Neque concinnitatis lex per totum carmen, ut Wuestem. statuit, observata est; nam v. 45—49 Comatas quinque versus opponit duobus versibus (43 et 44.) Laconis.

V. 25. *καὶ πῶς, ὦ κιναδεῦ, τάδε γ' ἔσσεται ἐξ ἴσου ἄμμιν;*

Verba ironicum sensum habere adnotavit Wuestem. Mihi videtur pastor simpliciter dicere, non æquam fore condicionem, qua certaturi essent. Nam in interrogatione latet vis negativa, neque vero ironia. Ita locum recte intellexit Scholiastes, cujus explicatio *ἀναιδῶς* convenit etiam verbo *κιναδεῦ*. Equidem suspicor, Wuestemannum i r o n i c e sæpius eo sensu accepisse, ut sit *σαρκαστικῶς*. Pastor ut iniquam condicionem magis ostendat, suo more statim adjungit duo proverbia, de quibus loquitur Erasmus Adag. I, 8. 73. p. 284.

V. 28. ὅςτις νικασεῖν τὸν πλατίον ὡς τὺ πεποίθη,
σφὰξ βομβέων τέττιγος ἐναντίον. ἀλλὰ γὰρ οὔ τοι
ὤριφος ἰσοπαλής, τυίδ' ὁ τράγος οὗτος, ἔρισδε.

Non perspexit Wuestem., ut ego quidem arbitror, sententiam hujus loci. Ea hæc est. Verbis ὅςτις κτλ. usque ad ἐναντίον respondet Comatas ad præcedentes interrogationes, id quod jam intellexit Scholiastes. Itaque σφὰξ β. τ. ἐν. appositio est pertinens ad τὺ i. e. ὁ σφὴξ σὺ ἐμοῦ κατ' ἐναντίον, τοῦ τέττιγος, h. e. tu, qui longe impar certaturus es mecum superiore. Minime igitur addendum est cogitatione: „frustra agit, strepitum facit." Deinde Laco non semet ipsum comparat cum capella, neque Comatam cum cane, sed Laco indignans, quod Comatas hædum oppositum esse velit agno, comparat pretium agni ratione habita hædi cum pretio lanæ atque capræ ratione habita pilorum atque canis. Quapropter Comatas verba addit: ἀλλὰ γὰρ οὔ τοι — ἔρισδε, quæ hunc habent sensum: Quum haedus tibi non par sit (sc. agno, quem a te positum volo), huncce hircum depono. Hoc modo si mentem poetæ interpretamur, omnia cohærent aptissime. Wuestem. autem in sententiam suam incidisse videtur, quod neque attendit particulas ἀλλὰ γὰρ, neque satis consideravit discrimen, quod hoc loco inter hædum et hircum [ὤριφος et ὁ τράγος] intercedit.

V. 31. οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι. Non enim igni calescis. Proverbium est, quod Wuestemannô „de iis dictum videtur, qui incendio in vicino loco exorto suas res subito arripiunt." Id nescio quo testimonio defendi possit. Scholiastes affert: οὐ γὰρ ἐπὶ πυρὸς βέβηκας, id quod huic loco convenire videtur. Nam qui per ignem incedunt, celeritate student ignem reddere innoxium. „Quemadmodum non læditur, qui manum per mediam flammam mittit, aut prunam ardentem subito correptam abjicit." Extrema verba sunt Erasmi Adag. IV, 6. 32. pag. 960. Nos quoque, ubi quis festinatius quid peracturus est, sæpe audimus: *Es brennt dir ja nicht auf die Nägel.*

V. 34. στιβάς a Grevero h. l. et VII, 67. explicatur stratum ex cæspite factum *(Rasenpolster)*, cui explicationi VII, 67. adversatur. Signif. proprie id quod calcatum est, tum omnino cubile ex mollibus foliis stratum *(Laublager)*, in quo quis cubat. In altero loco additur πεπυκασμένα ἐςτ' ἐπὶ πᾶχυν h. e. usque ad eam altitudinem exstructum, ut cubitum tangat. Schol.: στρωμενὴ ἐπὶ τῆς γῆς ἐκ φύλλων. Similiter Soph. Philoct. v. 33. στειπτή γε φυλλάς, ubi Schol.: χαμαιστρωσία ἐκ φύλλων. Porro Theocr. IX, 9. ἔντι δέ μοι παρ' ὕδωρ ψυχρὸν στιβάς. ubi Schol.: κοίτη ἐστιβασμένη ἀπὸ βοτανῶν. Huc accedit XIII, 34. λειμὼν γάρ σφιν ἔκειτο, μέγα στιβάδεσσιν ὄνειαρ. — v. 36. De verbis ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπεν cf. Soph. Oed. R. 1351. ibique Wunderum.

V. 61. *Τὰν σαυτῶ πατέων.* cf. XVIII, 20. *γαῖαν πατεῖ.* XXII, 59. *τῆς σῆς γε μὲν οὐκ ἐπιβαίνω.* Idem orationis color Soph. Philoct. 1060. *χαῖρε τὴν Λῆμνον πατῶν.*

V. 76. *βέντισθ' οὗτος.* „pronomen cum ironia additum" dicit Wuestem. At pronomen significat h e u s t u et ironia latet in *βέντιστε,* quod pariter dictum est atque v. 8 *ὠλεύθερε.* — In versum octogesimum Wuestem. immemor fuit, Laconem provocasse et Comatam provocatum esse. cf. v. 21.

V. 111. Meinekii editio præbet *κὔμμες θὴν,* sed in caeteris Theocriti locis particula enclitice scripta est. cf. I, 97. *τύ θην.* II, 114. *ἐγώ θην.* VI, 34. *γάρ θην.* VIII, 83. *τύ θην.* XIV, 43. *αἰνός θην* XV, 15. *πρώαν θην.* 62. *πεῖρα θην.* Wuestem. sicuti in aliis minutiis ita in hujus particulæ tenore collocando sibi ipse non constitit. Nam II, 114. VI, 34. encliticam exhibuit, in reliquis locis particulam acuit, pariter atque Gaisfordius. Semper acuit Boissonadus, id quod ipse monuit in II, 114. Sed disertum Grammaticorum testimonium, ex quo particula enclitica est, ubique respiciendum esse hodie constat.

V. 118. *τοῦτο μὲν οὐ μέμναμ'· ὅκκα μὰν τεῖνδέ τυ δήσας*
Εὐμάρας ἐκάθαρε κάλως μάλα, τοῦτό γ' ἴσαμι.

Ita mihi videtur scribendum esse. *ὅκκα* plurimi et optimi præbent Codd. littera *α* ante liquidam producta; *ποκά,* quod vulgo post *μὰν* legitur, abest fere in omnibus codd., et sensu careret, si post *ὅκα* positum esset; *τεῖνδε* jam recepit Meinekius ex quinque codd. Versus 119. scriptus est ex emendatione Bergkii in Mus. Rhen. VI, 1. p. 33. Reliquæ quamquam ingeniosæ conjecturæ, velut Ziegleri *ὅκα μὰν πύκα,* Schneidewini *ὅκα μὰν ὅκα* parum subsidii habent in Mss., quippe in quibus particula *ποκὰ* non legatur.

V. 121. *γραίας* genitivum esse recte statuere videtur Reiskius, quocum consentiunt Greverus in h. l. et Meinekius in Id. I. 83. Sed Reiskii explicatio totius versus pariter atque explanatio, quam probavit Wuestem., nimis recedit a simplicitate. Etiam Scholiastæ posita particula *ἤ* satis prodant ambiguis se conjecturis duci. Bindemann. in interpretatione germanica adnotavit: „*Nach meiner Meinung ist dieser Vers an Morson gerichtet, der dem Comatas ein Werkzeug zu einer andern Kampfübung, als die des Wettgesanges war, holen soll, weil ihm ein Sänger wie Lacon als Gegner verächtlich ist.* Paullo aliter igitur accepit Palmerii explicationem, ex qua scillæ etiam h. l. ad flagellandum adhiberentur. Equidem adsentior Grevero monenti, scillarum saporem atque acidum succum cogitandum esse. Hoc si recte sumptum est, totum locum ita intelligo, ut Comatas dicat: a b e a s, m i M o r s o n, a t q u e i l l i c o e v e l l a s e x

sepulcro anus alicujus scillas, quibus lacrimas mihi excitem, ut hunc homuncionem miseratione dignum deplorem. Hoc autem ironice dictum esse arbitror.

V. 125. *οἴνῳ πορφύροις.* „ob vinum, quod purpureum sæpe dicitur" Wuestem. Sed coloris notionem ab hoc vocabulo iisque cognatis vocibus alienam esse acute ostendit C. W. Lucas: Quæstionum Lexilog. liber I. §. 115. 116. Significat potius *πορφύρειν* cum aliquo motu et abundanter fluere; recte Schol. qui h. l. explicat: *βλύζοις ὑπὸ οἴνου.*

Idyllium VI.

V. 9. *πάλιν ἆδ' ἴδε τὰν κύνα βάλλει.* cf. IV, 48. *ἴδ' αὖ πάλιν ἅδε ποθέρπει.* — 11. *νιν* ad canem per littus discurrentem pertinere, extra omnem dubitationem positum est; nam *ἐπ' αἰγιαλοῖο* non potest significare *dem Ufer zu*, quæ interpretatio est Greveri, sed tantummodo *auf dem Ufer;* Galatea autem per littus currere nequit, quum nondum e mari egressa sit. — V. 12. cf. XV. 133. *κύματ' ἐπ' ἀϊόνι πτύοντα.*

V. 15. *ἃ δὲ καὶ αὐτόθε τοι διαθρύπτεται, ὡς ἀπ' ἀκάνθας*
ταὶ καπυραὶ χαῖται, τὸ καλὸν θέρος ἀνίκα φρύγει,
καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει,
καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον· ἦ γὰρ ἔρωτι
πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.

Hæc interpunctio, ut mihi videtur, præferenda est. Pauca de singulis. Vocabulum *αὐτόθε* recte intellexisse puto Scholiasten, cujus hæc est adnotatio: *ἀπὸ τῆς οἰκείας φύσεως* h. e. sua sponte. Si enim explicatur „ex hoc loco, e mari," non intelligo, quid sibi velit particula *καὶ* h. e. vel ex hoc loco, quum Galatea adhuc sub aqua latens aliunde illud facere non possit. — Indicativum *φρύγει*, qui optima nititur auctoritate, defendit Herm. in Vig. 926. ed. IV, quamquam intactam reliquit scripturam *φρύττει.* Porro majorem distinctionem post *φρύγει* vulgo positam mutavi in minimam propterea, quod verba, in quibus Galateæ inconstantia cum carduorum pappis huc illuc volitantibus comparatur, et ad prægressa et ad sequentia pertinere mihi videntur, ita ut versus septimus decimus quasi amplificans interpretatio sit verbi *διαθρύπτεται.* Nam modo spectari voluit Galatea et in amorem pellicere ideoque consectata est Polyphemum, modo fugit Polyphemum parumque obsequiosam se præbuit. — De ludo veterum, unde formula *τὸν λίθον ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖν* i. e. ultima quæque audere petita est, jam multa collegit Meursius in Spec. p. 36. sq. — Mensuræ *καλὰ κᾱλὰ* conferas similia exempla Theocritea: VIII, 19. *ἶσον — ἴσον.* XIII, 3. *καλὰ — καλὰ* XV, 15. *πρῴαν — πρῳάν.*

V. 22. κοῦ μ' ἔλαθ' οὐ τὸν ἐμὸν τὸν ἕνα γλυκύν, ᾧ ποθορῆμαι
ἐς τέλος·

Boissonadus scripsit ex uno codice ποθορῶ μοι idque divisim; Hermannus commendavit Heinsii elegantem conjecturam ποθορῷμι propter addita verba ἐς τέλος. Sed hæc verba addita esse videntur, ut augeatur Polyphemi confidentia, ingenio Cyclopis quam maxime accommodata, quippe qui omnem fidem abroget vaticinii. Nam multo gravior et nervosior fit sententia, si Polyphemus dicit: quo cerno usque ad finem meae vitae, quam posita optatione: quo mihi liceat cernere. Quum autem plurimi iique optimi codd. præbeant medium ποθορῶμαι vel ποθορῆμαι, vehementer dubito ego quin liceat hanc formam tot tamque bonis codicibus invitis sine ulla hæsitatione expellere. Videtur potius quærendum esse, num aliud possit hujus formæ exemplum reperiri. Medium certe quod esset: quo cerno in meos usus nostro loco admodum conveniret, quum legenti statim in memoriam revocarentur Polyphemi labores, quales describuntur apud Homerum. — Verba proxime prægressa, quæ Greverus atque Meinekius conjecturis tentaverunt, non sunt offensioni, dummodo Polyphemum fingamus manu suum oculum cum hilari quadam animi fiducia monstrantem. Similia exempla, in quibus tota sententiæ conformatio justam relationem verborum illico patefacit, permulta possunt comparari, veluti Theocr. XVIII, 11. πολύν τιν' ἔπινες sc. οἶνον, complura ex Pausania, ubi notiones μάχην, ὁδὸν, πληγὴν legenti statim apertæ sunt, de quibus nuper monuit eruditissimus Siebelis. in Ephem. Hallens. 1839. Nr. 30. p. 237.

V. 37. . . . . . τῶν δέ τ' ὀδόντων
λευκοτέραν αὐγὰν Παρίας ὑπέφαινε λίθοιο.

In his verbis inest comparatio non compendiaria, quam sumpsit Wuestem., sed plene indicata, quam sic licet exponere: ὑπέφαινε δέ τε (sc. πόντος) αὐγὰν τῶν ὀδόντων, ἣ ἦν λευκοτέρα ἢ Παρία λίθος. Porro verbum ὑπέφαινε rem ipsam suaviter depingit, id quod latina interpretatio „ostendebat" plane abstersit. Latet enim in ὑπέφαινε nostrum *zeigte von unten herauf*, sicuti idem verbum sæpe ponitur de Aurora paullatim sese tollente, quod nos dicimus: *das vom Horizonte allmählich herauf leuchtende Morgenlicht.* cf. exempla Xenophontea in Lexico Sturzii s. h. v. allata; porro Pausan. I, 40. 2. ἡμέρα τε ὑπεφαίνετο. II, 8. 2. ὑπέφαινε γὰρ ἕως ἤδη. Aelian. V. H. XII, c. 1. de Aspasia: ὑπέφαινε δὲ καὶ τὰ χείλη ἐρυθρὰ, καὶ οἱ ὀδόντες λευκότεροι χιόνος ἦσαν. — v. 39. De particula δὲ post tertium verbum posita cf. Poppo in Thucyd. Part. I. Vol. I. p. 302. g. et Part. III. Vol. I. p. 71. §. 3.

Idyllium VII.

In hoc carmine quæ narrantur quin acta esse putanda sint in Lucania prope Veliam urbem, vix quisquam amplius in dubium vocabit. Non esse cogitandum de insula Co, ad quam Scholiastæ omnia nomina relata volunt, primus explicavit Dan. Heinsius Lectt. Theocr. cap. XII, qui p. 336. extr. (editionis a. 1604.) dicit: „Sciat hoc semel lector: scenam hujus idyllii non *ἐπὶ τῆς Κῶ κεῖσθαι*, sed *ἐπὶ 'Ιταλίας*, in Italia dico et Sicilia." Sed in eo erravit Heinsius, quod modo in Sicilia modo in Italia rem agi contendit. Locus si ita intelligendus esset, unum diem sufficere non potuisse ad iter perficiendum apparet: at vel breviori tempore socios eo quo tenderent pervenisse, carmen ipsum demonstrat. Porro vocabulum *πόλις* h. l. non potest referri ad Syracusas, ut voluit Heinsius. Id animadvertit Dumas: de Theocriti carmine septimo (in progr. gymnasii Rastenburg., Regiomont. a. 1830 edito.), in quo libello p. 25—28 omnes veterum scriptorum loci congesti sunt, qui aliquid faciunt ad scenam hujus idyllii explicandam. Ipse tamen Dumas scenam cum Scholiasta in insula Co collocandam censet iis potissimum adductus [nam reliqua bene disseruit.], quæ de fonte *Βουρίνᾳ* in scholiis traduntur. Sed hujus fontis descriptionem (v. 6—9) insertam esse „ad Chalconis memoriam celebrandam" docuit Hermannus Opusc. V, p. 79. ergo: proles nobilis oriunda a Clytia et Chalcone, qui olim in insula Co illum fontem aperuit (*ὃς ἄνυσε*). Quo facto nunc omnia, quæ ad scenam pertinent, patefiunt. *) Quæ quum ita sint, simul ad irritum cadunt, quæ huc usque disputata sunt de tempore atque de consilio, quo scripserit Theocritus hoc idyllium. Atque utraque quæstio vix unquam poterit ad liquidum perduci. Mihi videtur in hoc carmine nihil inesse nisi hilaris recordatio aetatis juvenilis, quod quasi fundamentum sit totius narrationis. Seriori igitur, si recte auguramur, tempore a poeta scriptum est hoc carmen, id quod statim carminis initium atque universa compositio, quæ suaviter cultam prodit poeticam facultatem, declarare videtur. Quapropter non dubito ego, quin Weichert. de vita Apollonii p. 59. atque Gerhard. Lectt. Apoll. p. 5. recte observaverint, versibus 45—49. a Theocrito respici Apollonium Rhodium. In simili sententia jam

---

*) Mirum igitur est, quod E. Hepner.: De variis Theocr. Idyll. generibus. Thoruni 1836. p. 11. etiamnum scripsit, Simichidam diem festum in pago insulae Co celebrandi caussa iter fecisse. Neque minus mirum est quod idem Hepnerus addidit: „Altera inscriptio *ἐαρινὴ ὁδοιπορία* originem habet ab itinere Ageanactis, verno tempore Mytilenem navigantis, quod iter Lycidas, illius amator, cantu celebrat." Hæc hausit opinor ex Heinsii Lectt. Theocr. cap. XIII. p. 341., ubi hæc leguntur: „A navigatione Ageanactis inscriptum est ipsum idyllium. '*Ὁδοιπορία* est *ὁ πλοῦς*." At miram Heinsii explicationem vix quisquam hodie probabit. Nam *ὁδοιπορία* non idem valere potest quod *ὁ πλοῦς*.

erat Erasmus, qui Adag. IV, 50. p. 1052 sic scribit: „Suspicor allusum ad poetam Coum. Nam paullo post Homerum appellat poetam Chium.“ Porro si quærimus, unde Theocritus sibimet ipsi nomen induerit Simichidæ (nam Theocritum ipsum sub hoc nomine latere fere omnes consentiunt), vix potest verum esse, quod etiamnum probat Boissonadus (p. 216. ed. II.), Theocritum fuisse σιμόν. Hæc Scholiastarum doctrina, quam nonnulli ex III, 8. ἦ ῥά γέ τοι σ ι μ ὸ ς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν hauriebant, referenda est ad eas commenticias narrationes, quarum permultæ circumferuntur. Atque istam opinionem recte refellit Scholiastes l. l. his verbis: οὐδὲ Σιμιχίδας ἀπὸ τοῦ σιμοῦ, ἀλλ' ἀπὸ Σιμίχου, πατρωνυμικόν. Probabilis caussa, cur Theocritus hoc nomine utatur, nescio an indagari possit ex his verbis Scholiastæ in VII, 21.: φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον (i. e. Theocritum) ἀπὸ πατρίου κληθῆναι Σιμιχίδου τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων, οἵ τινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν. Avus igitur Theocriti Orchomeni natus civitatis vinculo cum Cois conjunctus fuit. Quodsi sumimus, Theocritum jam illo tempore, quo Philetæ disciplina in insula Co utebatur, apud commilitones et homines Coos hoc nomine tamquam honorifico, utpote societatem inter poetam et Coos a patribus inde intercedentem indicante, insignitum fuisse: tum putandus est Theocritus in hoc carmine sibi hoc patronymicum nomen induisse, ut commilitonibus secum olim conjunctis atque hominibus Cois, quibus carmen innotesceret, illud tempus in memoriam revocaret. Sed fateor ipse, hæc omnia niti ambigua conjectura.

V. 2. εἵρπομες non prorsus respondet latino „ibamus“; inest potius: c o m m o d e e t p l a c i d e i n c e d e b a m u s, *wir schlenderten hin* nos audimus in populari sermone. Similiter VIII, 75. τὰν ἁμετέραν ὁδὸν εἷρπον. Neque vero comparandus est locus Odysseæ I, 193. quia ibi verbum ἑρπύζειν positum est de Laerte s e n e. Boissonadus comparat Hor. Sat. I, 5. 25: „Milia tum pransi tria repimus“, quod exemplum non aptum est. cf. ibi adnotationem Porph. ab Orellio adscriptam. Deinde recte præferunt σὺν καὶ vulgari σὺν δὲ, quia, σὺν δὲ si posuisset Theocritus, novum verbum exspectaretur: nunc vero εἵρπομες ad utramque pertinet sententiam. Cæterum vocula σὺν sequente καὶ et ab initio periodi posita adverbialiter usurpatur, quam ob rem non opus esse videtur, ut cum Apoll. de pronom. p. 312. scribatur ἁμὶν pro ἄμμιν.

V. 6. Quid ἐκ ποδὸς significet dissentiunt interpretes. Erasmus Adag. IV, 6. 22. p. 958. atque H. Stephanus Thesaur. T. III, p. 502. H. (ed. 1572.) interpretantur hunc locum: „protinus, e vestigio.“ Pariter jam explicavit ἐκ ποδὸς unus e Schol. vocabulo ταχέως. Sed hæc significatio (quæ cadit in Bio. VI, 2. ἐκ ποδὸς αὐτῷ ἕποντι.) dubito quin conciliari possit cum verbo ἀνύειν. Vir doctus apud Wartonum proponit πέδον, quæ conjectura [πέδω exarata] placet Grevero (*Nachträge* p. 9.), jam placuisse videtur Bindemanno vertenti *Trat aus dem Boden hervor.* Mirum tamen est, quod, quum id vix potuisset oblitterari, omnes libri ἐκ ποδὸς tenent. In qua vulgata scriptura explicanda

consentiunt Kiessl. et Wuestem., ἐκ ποδὸς idem quod ποδὶ esse statuentes præeunte Musgravio. Præterea Wuestem. affert Matth. Gr. Gr. §. 396. Not. 2. Sed hic grammaticus ratione hujus usus non satis perspecta quæ secernenda sunt exempla permulta congessit. Ita Homericum ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι non est *vor Augen*, neque magis vera est explanatio aliorum exemplorum. cf. Nægelsbach. in Hom. Il. I, 587. p. 86.; Wunder. in Soph. Philoct. v. 60 et 91. Nostro loco, si verba de Chalconis pede accipienda essent, ἐκ ποδὸς prope quidem accederet ad dativi rationem, sed non tam instrumentum, quo fons ab illo heroe apertus sit, quam caussa indicaretur, quatenus vis et facultas illum fontem aperiendi a Chalcone profecta esse diceretur, ita ut fons statim ex pedis ictu prosiluerit. At quomodo quis genu rupi obnixo atque simul ex pedis ictu fontem aperuisse perhiberi possit, ego certe non assequor, nisi forte Chalco ambobus pedibus usus esse putaretur, cujus sententiæ, jam in scholiis commemoratæ, apud ipsum poetam ne ullum quidem extat vestigium. Hæc omnia me movent, ut verba ἐκ ποδὸς interpretanda esse censeam de pede rupis, quo facto etiam particula γε inter εὖ et ἐνερεισάμενος inserta non languidam facit orationem. Eam explicationem probare videtur Scholiastes, qui in insula Co statuam fuisse narrat, ex cujus pede fons quidam proruperit. *) — Ad ea quæ interpretes de ipsa re attulerunt, accedit Schol. Lyc. 835, quod confert Lobeck. Paralipp. p. 467. Not. 16.

V. 16. Lycidas habebat:

κνακὸν δέρμ' ὤμοισι νέας ταμίσοιο ποτόσδον,

pellem redolentem recens coagulum, non quo subacta et apparata fuisset coagulo ipsa pellis, quæ est Kiesslingii adnotatio a Wuestemanno probata, sed quia caprarius caseos coagulo immisso premebat. cf. XI, 66. ἐθέλοις σύν ἐμὶν — τυρὸν πᾶξαι τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα. Ita hunc locum verissime explicavit Greverus (*Kl. Beitr.* p. 62.). Neque tamen opus est, ut propterea recipiatur ποτόσδων. Nam poetarum more id quod ipsius caprarii est transfertur ad ejus pellem, nisi quis malit statuere cum Scholiasta,

---

*) Gymnas. nostri Directori, Dr. Hausio, viro mihi dilectissimo, hæc legenti (delectat enim nos in litterarum studiis sermonis ac consilii communicatio) alia in mentem venit rem enucleandi ratio. Primum enim sagaciter monuit et hoc offensioni esse, quod una pars corporis [γόνυ] proprie, altera autem [ἐκ ποδὸς] metaphorice dicta esset, et verba ἐκ ποδὸς nude posita aliquid inconcinni habere. Tum me cogitare jussit, Chalconem vidisse aquam sub rupe undique singulis guttis ac rivulis prorepentem, ideoque voluisse fonti, quem retineri moleste ferret, scaturiendi viam aperire. Ita videri sibi virum robustissimum statim pede fortiter insistentem genu rupi apposito repulisse ac potius paullulum sustulisse tantummodo rupem, ita ut fons inde ab eo loco, quo pedem constiterat i. e. de pede ipsius *(von seinem Fusse weg)* prorumperet. Postremo sic demum ἀνύειν censuit recte adesse, quippe qua voce Chalco, cum fontem impeditum expedivisset, vere perfecisse dicatur *(machte ihn schon daseiende fertig, brachte sie zum Springen.)*. Fateor hanc explanationem mihi nunc magis placere. Idem videri potest repræsentasse illa statua.

cujus hæc est adnotatio: *εἰώθασι γὰρ οἱ τυροποιοῦντες ἀπορίᾳ χειρομάκτρων ἀποσπογγίζειν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐν οἷς δερματίνοις εἵμασι περιβέβληνται.* Caprarii *δέρμα* autem fuit *ἐκ τράγοιο* ex hirco i. e. hirco detractum, atque *κνακὸν*, quod indicare videtur pellem, quæ longo usu attrita candidum colorem amisit, et flavescere cœpit, *ein vergelbter Pelz.* — Verba *ῥοικὰν κορύναν* signif. pedum ex clava factum, unde in extrema parte videtur leniter incurvatum fuisse, vel ut melius posset manu teneri, vel ut pecudes, si quæ e grege ad usum quendam eligendæ erant, facilius prehenderentur, ad quam quidem rem a nostris pastoribus pedum unco instructum adhiberi videmus.*)

V. 19. . . . *καί μ' ἀτρέμας εἶπε σεσαρώς*
ὄμματι μειδιόωντι, γέλως δέ οἱ εἴχετο χείλευς·

Wuestem. adnotavit: „Lycidas amicos obviam sibi factos alloquitur *ἀτρέμ. σεσαρὼς ὄμ. μειδ.*, placido vultu et ad ridendum composito. Quem oris habitum eum non nunc sumsisse, sed semper fere ostendisse significant sequentia *γέλως δὲ — εἴχ. — χείλευς*, risus ille tenebat labia, i. e. conspici solebat in ejus labiis. Nempe non oculis et fronte ridebat, sed solebat *παντὶ προσώπῳ.*“ Hæc omnia, nisi fallor, a mente poetæ aliena sunt. Primum vox *ἀτρέμας* prop. significat id quod ita fit, ut quis non tremat, i. e. firmiter, veluti Homericum *ἀτρέμας εὗδειν fest schlafen* (Il. XIV, 352.). Deinde Tragici potissimum hoc vocabulo pariter utuntur, atque nos voce *still* sive *sachte;* pariter h. l. labiis leniter ridendo diductis. De verbo *σεσαρὼς* loquuntur etiam A. Wissowa: Theocritus Theocriteus. p. 29. atque Meinekius in præf. ed. II. p. VI. Porro verba *γέλως δέ οἱ εἴχετο χείλευς* nihil aliud possunt significare nisi: ex ejus labiis pendebat risus i. e. risus inhaerebat ejus labiis neque prorumpebat. Jam vero totum declarat Lycidæ lætitiam, quod obviam venerit Simichidæ. Eam explicationem confirmat formula *ἀδὺ γελάξας* v. 42. 128.

V. 21. *Σιμιχίδα, πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριος πόδας ἕλκεις,*
ἁνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐν αἱμασιαῖσι καθεύδει,
οὐδ' ἐπιτυμβίδιοι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι;

Primum præferenda mihi videtur conjectura *μεσαμέριος* pro vulgata *μεσαμέριον*, quam recentiores omnes probaverunt. Quemadmodum enim omnino in familiari sermone pronomina aliaque sæpe locum habent, quæ in cultiore absunt, ita videntur Dorienses adjectivis adverbialiter positis semper addidisse articulum. En exempla Theocritea: I, 15. *τὸ μεσαμβρινόν.* 41. *τὸ καρτερόν.* III, 3. 18. *τὸ καλόν.* 18. *τὸ πᾶν λίθος.* **) IV, 3. *τὰ ποθέσπερα.*

*) Lat. pedum Serv. et Fest. derivant a pede (Voss. in Etymol. „quia pedes pastorum fulcit.“) Similiter nostri pastores requiescendi caussa pedo inniti solent.

**) Quod exemplum non prorsus apte comparatur apud Wunderum in Soph. Philoct. v. 614.; aptius comparari potuit XV, 20. *ἅπαν ῥύπον.*

33. τὸ ποταφόν. V, 13. τὰ λοίσθια. 113. τὰ ποθέσπερα. 126. τὸ πόνορθρον. X, 29. τὰ πρᾶτα. 48. τὸ μεσαμβρινόν. 51. τὸ καῦμα. XXII, 4. τὸ τρίτον. XXIII, 40. τὸ πύματον, et ubi idem Hemistichion iteratur Bio I, 45. XXIV, 240. τὸ τρίτον. — Omisso articulo inveniuntur: II, 11. ἅσυχα (ubi vera videtur Kiesslingii conjectura). 81. πρᾶτον. VIII, 69. μεσονύκτιον (quod cohæret cum μένοντες, ergo non „media nocte", sed mediam noctem exspectantes interpretandum, ideoque substantive positum est.). XXI, 39. δειλινόν (ubi probanda videtur conjectura δειλινός). XXIV, 76. ἀκρέσπερον ἀείδοισαι, quod exemplum hunc non magis potest in censum venire quam quæ illico sequuntur: 69. πρᾶτον. XXV, 70. θεσπέσιον δ' ὑλάοντες. XXVII, 46. ταῦροι καλὰ νέμεσθε. — Sæpissime adjectiva, temporis imprimis, ponuntur pro adverbiis. cf. II, 4. 157. δωδεκαταῖος. V, 115. ὑπανέμιοι φορέονται. VII, 53. ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις. VIII, 16. μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι. *) X, 12. ἔραμαι σχεδὸν ἑνδεκαταῖος. [Quendam Moschopuli locum, qui huc aliquid facit, emendavit et contulit cum hoc Theocriti loco Boissonadus Anecdot. T. IV, p. 375.]. XIII, 3. ἀμῖν πράτοις. XIII, 32. δαῖτα πένοντο δειελινόν (ex cod. K.; scriptura vulgata est δειελινοί, quam formam Wuestem. **) non recte comparat cum VII, 21.; nam comparari demum potuit probata conjectura μεσαμέριος). XIV, 2. ὡς χρόνιος. XVI, 94. τέττιξ ποιμένας ἔνδιος ***) πεφυλαγμένος. XXII, 152. ὔμμιν ἐνώπιος — ἔειπα. XXIII, 35. κἂν τοῦτο πανύστατον ἀδύ τι ῥέξον. ****) XXIV, 11. μεσονύκτιον ἐς δύσιν. 93. ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν — ὑπερούριον (inest prolepsis). XXV, 56. χθιζὸς ὅδ' εἰλήλουθεν. 202. λίς

---

*) Proprie: omnes oves vespertinas numerant, i. e. vespertino tempore. Valckenarius formam ποθέσπερα male accepit pro adverbio, id quod etiam pertinere videtur ad Hermanni verba (Opusc. V. p. 86.): Praetereo alia etc. Etiam Mehlhorn. „de adject. pro adverb. rat. et usu p. 8. Not. m." non recte vulgari modo pro adverbio positum esse contendit.

**) Omnino Wuestem. hunc usum in diversis locis explicans sibi ipse non constat. Nam VII, 21. dicit: „In hac loquendi ratione articulus omitti solet." porro in XXI, 39. δειλινόν. „in qua loquutione articulus aut adjicitur aut omittitur". XXVII, 37. καλὰ νομεύω. „etiam singularis numerus ita ponitur articulo aut omisso, aut addito". I, 41. τὸ καρτερόν. „etiam pluralis cum articulo in hunc sensum adhibetur." His adnotationibus vereor ut accurate res perspiciatur.

***) Meinekius retinuit ἐνδίους, sed hæc scriptura profecta esse mihi videtur a librariis, qui offenderunt in insolentiori adjectivi collocatione, ideoque cum prægresso substantivo facile adæquarunt. Lectionem ἔνδιος, quam codd. dedere, confirmat etiam Schol.: ἡνίκα ὁ τέττιξ ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν κλάδων ἠχεῖ κατὰ τὴν μεσημβρίαν, τοὺς ποιμένας φυλασσόμενος.

****) h. e. καὶ ἐὰν τοῦτο sc. ῥέξῃς ex imperativo ῥέξον eliciendum, *wenn auch nur dieses — als das Lezte.* Eam explicationem ut admittamus duo potissimum videntur postulare. Primum non patet, quid sibi vellet καὶ τοῦτο etiam hoc, vel hoc, ubi quivis exspectaret hoc certe. Tum offensioni esset verborum positura, ex qua particula ἂν nimis remota esset ab imperativo ῥέξον. Itaque hunc locum vix puto adnumerandum esse iis, in quibus particula ἂν adjuncta legitur imperativo, quemadmodum statuunt Rostius Gr. §. 120, 5. d. p. 590, alii. Neque Hermannus Opusc. IV, p. 176—178., neque Hartungus Doctr. partic. II, p. 312—314. hunc locum attulerunt. Possit vero etiam quis verbum ᾖ post τοῦτο omissum putare.

ἄμοτος *) *κεράιζε.* 203. *οἳ ἔθεν ἀγχίμολοι ναῖον.* 223. *ὃ μὲν σήραγγα προδείελος ἔστιχεν εἰς ἥν.* 252. *λὶς αἰνὸς ἀπόπροθεν ἀθρόος ἆλτο.* XXVII, 36. *τὰ δὲ πώεα καλὰ νομεύω* (nisi quis malit accipere pro adverbio.). Quæ exempla qui accuratius consideraverit, atque genera carminum, in quibus singula leguntur, probe distinxerit, vix dubitabit quin in loco, unde digressi sumus, præferenda esse videatur conjectura *μεσαμέριος.* — Verba *πόδας ἕλκεις* [unde orta sit quæso scripturæ discrepantia *ἕλκῃς* in codice K.?] explicat Wuestem. „lento gressu incedis, tam ob solis ardorem, quam quod festinationis caussam non habet.“ Non recte ut opinor. Adversantur enim huic explicationi loquutiones quæ proxime sequntur: *ἐπείγεαι — ἐπιθρώσκεις; ὥς — ἀείδει.* Nam quomodo quis lento gressu incedere, atque simul properare et ad vindemiam prosilire dici possit, difficile est intellectu. Neque vero id latet in verbis poetæ. Nam *πᾷ τὺ πόδας ἕλκεις* plane referunt nostrum: *wo schleppst du deine Füsse hin.* i. e. quo tendis hoc æstu diei cum maxima virium contentione. Festinationis autem caussam Simichidam non habuisse, nescio unde Wuestem. collegerit. Hanc festinationem potius prodere videntur quæ proxime sequuntur: *ἦ μετὰ δαῖτα κλητὸς ἐπείγεαι* collatis iis, quæ de more tempus convivis certum præstituendi uberius disputarunt J. Meursius Specil. p. 41. sqq. atque Erasmus Adag. Chil. IV, 6. 23. p. 958. — Quæ deinde leguntur verba *ἐν αἱμασιαῖσι* pro vulgat. *ἐφ' αἱμ.* in optimis extant codicibus, atque recte probata sunt a Brunckio, Bindemanno (p. 360.), Gaisfordio, Meinekio, Boissonado. Male comparat etiamnum Greverus (*Kl. Beitr.* p. 63.) *ἐπὶ* etiam h. l. *an* vertens I, 47., ubi alium esse nexum jam monuit diligentissimus Kiessl. Videntur potius librarii ex illo loco præpositionem *ἐφ'* in hunc locum temere intulisse. Porro *αἱμασιαὶ* non sunt cæmenta sive maceriæ, quæ explicatio est Brunckii et J. H. Vossii et Heynii in Virg. El. II, 9. et qui Heynium laudavit Boissonadi, aliorumque, sed omnino spineta. Comparari etiam potest Auctor Copæ v. 28. „Nunc etiam in gelida **) sede lacerta latet.“ — Postremo *ἠλαίνοντι* pro medio hujus verbi inusitato primus restituit Koehlerus Not. et Emendatt. in Theocr. p. 30. — Fabula quæ de alaudis cristatis traditur, pertinet ad phantasmata Indorum.

V. 25. *λανὸν ἐπιθρώσκεις* non sign. „torcular calcas“ neque „in torcular insilis“; (tum enim græce ponendum esset aut *λανὸν πατεῖς,* aut *λανῷ* sive *λανοῦ ἐπιθρώσκεις.* cf.

---

*) *ἄμοτος* pro vulgari *ἄμοτον* præbent duo codices. Adjectivum *ἄμοτος* immerito dicit inusitatum Passovius in Lexico s. v. *ἄμοτον;* nam legitur hoc loco et quos jam adscripsit Meinekius infra v. 242. Mosch. IV, 104.

**) Ita J. Sillig. in ed. Wagneri T. IV, p. 296. Ilgenius viridis [quam scripturam liberarii hausisse videntur ex Ecl. II, 9.] præferens de temporis significatione laudavit hunc Theocriti locum. Num forte viridi probandum est? Aptius certe conveniret verbis *ἐν αἱμασιαῖσι,* quamquam etiam gelida habet quo defendatur; refertur enim ad loca umbrosa, quæ lacerti frigus amantes tempore caloris quærere consuerunt.

Il. IV, 177. τύμβῳ ἐπιθρώσκων. Hom. hymn. XIX in Apoll. v. 2. ὄχθῃ ἐπιθρώσκων, Il. VIII. 515. νηὸς ἐπιθρώσκων.) sed significant verba: properas, prosilis ad vindemiam. Tota Lycidæ interrogatio propterea offendit Greverum (*Nachträge* p. 9.), quod τὰ *Λήναια* et τὰ *Θαλύσια* nimio temporis spatio distarent, quapropter dubitanter interrogat, num ληνὸς significet solum locum, ubi torcular positum sit collata nostra voce *Weinberg*, quippe quæ dicatur pro villa. Sed posterius idoneis exemplis demonstrari non poterit, prius ad talia pertinere videtur, quæ apud poetas non sunt ad vivum resecanda. Præterea inter finem τῶν Θαλυσίων et initium τῶν Ληναίων non semper multum temporis interpositum fuisse credibile est. — Ubi ἀρβυλίδες commemorantur, non solum Casaubonus putat calceamentum clavis ferreis suppactum fuisse (id quod quis facile possit ex Wuestemanni adnotatione conjicere), sed etiam Stanlejus (in Aesch. Agam. v. 953.), qui Tom. I, p. 426 (editionis quæ Halis 1832. prodiit) diserte dicit: „Ego vero — intelligerem calceos ferratos rusticorum potius quam Boeotorum ligneos: ejusmodi enim soleæ clavis suppactæ inter eundum lapidibus illisæ sonitum ac tinnitum edunt.“

V. 28. συρικτὰν ἔμεναι. Hæc ab Hermanno ex codd. Palatinis proposita emendatio, simul numerosior et verbis ad ictus metricos melius aptatis, nunc legitur etiam apud Boissonadum, cui Hermanni Scholas Theocriteas nondum cognitas fuisse editio ubique testatur.

V. 30. Verba Simichidæ κατ' ἐμὸν νόον paullo alio sensu dicta sunt atque apud Homerum (Il. IX, 108.) Nestoris καθ' ἡμέτερόν γε νόον, quæ attulit Scholiastes. Hoc Theocriti loco loquutio est tamquam proverbialis. Videtur enim Simichidas in hac formula, quæ v. 39. iteratur, elegantiam quandam quæsivisse, quemadmodum nonnulli homines formulas quasdam semper in ore habere solent, atque ubique inserere. Itaque ab hoc loco plane diversi sunt loci XIV, 57. κατὰ νοῦν τεόν. XXI, 32. κατὰ τὸν νόον.

V. 35. ἀλλ' ἄγε δή, ξυνὰ γὰρ ὁδός, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς,
βωκολιασδώμεσθα· τάχ' ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.

Sicuti in familiari sermone negligentius respondetur, ita h. l. factum est. Vocabulum ἀώς fere omnes interpretes recentiores (Kiessl. Wuestem. Burchard. p. 234.) intelligunt „de toto die.“ Quod etsi in aliis locis Aurora pro die dici posse [e. c. hæc mihi illuxit Aurora. vel XII, 1. Bio III (VI), 18.] minime nego, tamen hoc loco dissentio. Rectissime intellexisse mihi videtur Reiskius hanc vocem de tempore antemeridiano; supra enim (v. 21 — 23.) Simichidas æstum memoraverat. Comparari potest Dissen. Opusc. p. 133. Dicit igitur Simichidas: una nobis est via, una Aurora, i. e. eodem ambo proficiscimur, eadem aurora instituimus iter. Quodsi Theocritus totum diem intelligi voluisset, haud dubie scripsisset ξυνὸν δὲ καὶ ἆμαρ. — Verba extrema sic capit Wuestem.: „fortasse alter ab altero aliquid discat,“

quæ interpretatio, nisi fallor, improbanda est. Nam *τάχα* sæpe est i. q. facile (cf. XXI, 55. Hom. Od. I, 251.) atque *ὀνίνημι* aliter explicari nequit atque delectare, sicuti apud Homer. Il. VII, 172:

οὗτος γὰρ δὴ ὀνήσει ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς.

Sententia igitur est: facile alter alterum delectabit, alter alteri placebit. *τὸν ἄλλον* similiter legitur XXII, 205. — v. 37. *Μοισᾶν καπυρὸν στόμα.* cf. Delect. Epigr. ed. Jacobs. cap. IV, 13. v. 1. p. 84 de Homero: *τὸ μέγα στόμα, τὰν ἴσα Μούσαις φθεγξαμένην κεφαλάν.* Ibidem 53. v. 5. p. 102 de Aeschylo: *ὦ στόμα πάντων δεξιόν.* Similiter *λίγειαν Ὀρφείην κεφαλήν* in Phanoclis reliq. 1, 18. p. 196. ed. Bach.

V. 44. Verba jungenda sunt: *ἔρνος ἐκ Διὸς* (germen, quod ex Jove originem traxit) *ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον.* Quod secus suadet Weissgerber., id improbandum fuisse a Wuestemanno permulta alia exempla docent, quæ congessit Hemsterhusius apud Gaisfordium p. 297. Adde ipsum Theocr. XXV, 185. *λύκων ὀλοφώϊον ἔρνος.* Loquutionem etiam exponit Erasmus Adag. Chil. IV, 10. 86. p. 1043.

V. 47. Poetæ vocantur *Μοισᾶν ὄρνιχες,* de qua re jam dixit Erasm. Adag. IV, 6. 4. p. 954. et IV, 10. 87. p. 1043.; Homerum Theocritus nominat *Χῖον ἀοιδόν,* de quo nomine tirones conferre jubeo *W. Müller.: Homerische Vorschule, ed. Baumgarten — Crusius* p. 50.— V. 50. *κἠγὼ μὲν* ab initio ponit caprarius, quia in mente habet: canam hoc, quod jam recte perspexit Scholiastes. Minus simplex est explicatio: *καὶ ἐγὼ μὲν ἄρξομαι* etc. Porro non ego quidem adsentior Burchardo observanti, in hoc anacoluthiæ genere suavem quandam inesse urbanitatem, ita ut caprarius jam incepturus interrupta oratione quasi excusaret festinationem vel arrogantiam. At neque festinatio neque arrogantia inest in verbis, sed adhortatio ad carmen pastoricium incipiendum: *ἀλλ' ἄγε — ἀρχώμεθ' ἀοιδᾶς.*

V, 61. *πλόος* est opportunitas navigandi, ut Soph. Philoct. v. 1450. (ed. II. Herm.) *καιρὸς καὶ πλοῦς ὅδ' ἐπείγει γὰρ κατὰ πρύμνην,* ubi Wunderus etiam in altera editione [cum Buttmanno] non recte intelligit ventum secundum. Adde Wuestem. in indice. p. 426.

V. 62. *καὶ εὔπλοον ὅρμον ἵκοιτο.* Hermanno Opusc. V, 81. comparanti XIII, 30. *εἴσω δ' ὅρμον ἔθεντο Προποντίδος,* videtur Theocritus *ὅρμον* dixisse „non partem illam portus, qua appellitur navis, sed finem navigationis, quum intrat in portum appellendi caussa navis et consistit.“ Huic simillimam explicationem jam proposuit Greverus (*Kl. Beitr.* p. 64.), cujus verba hæc sunt: *„εὔπλοος ὅρμος ist die Landung nach einer glücklichen Fahrt, so Soph. Philoct.* 217 *ναὸς ἄξενον ὅρμον αὐγάζων die Landung an einer unwirthbaren Insel, wie denn ὅρμος (von ὁρμάω, ὄρω) eigentlich Landung, und erst in zweiter Instanz*

statio navalis, *Rhede, bedeutet. Ja es scheint sogar die Fahrt selbst ὅρμος genannt zu werden, wie Odyss. XIII, ὅρμον μέτρον ἵκωνται,, eine Stelle, die vielleicht unser εὔπλοος ὅρμος am besten erklärt.*" Ambo igitur et Hermannus et Greverus statuunt ὅρμον activa quadam significatione dictum esse, h. e. navis appulsum. Sed hæc significatio aliunde non constat, neque quidquam convincunt, ut mihi videtur, loci allati. Nam XIII, 30. εἴσω δ'ὅρμον ἔθεντο Προποντίδος sign. intra Propontidem sibi reddiderunt stationem navalem i. e. (si sensum spectamus) subierunt stationem navalem *sie liefen auf einen Ankerplatz innerhalb der Propontis.* Porro in loco Philoctetis, quem in usum vocavit Greverus, Hermannus metri simul indicio ὁρμὰν nunc scripsit addita explicatione: „navis inhospitalem appulsum dicit, id est in portu inhospitali." Etiamsi vero etiam quis præferat vulgatum ὅρμον, nihil denotat nisi: inhospitalem stationem.*)
Locum denique Odysseæ XIII, 100:

ἔντοσθεν [h. e. ἐν Φόρκυνος λιμένι] δέ τ'ἄνευ δεσμοῖο μένουσιν
νῆες ἐύσσελμοι, ὅτ'ἂν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.

hunc igitur locum, ut inde activa vocis vis probetur alienum esse nemo non videt. Recte Wiedasch.: *sobald zur Bucht sie gelangt sind.* Sed comparari potest hic locus ad sensum loci Theocritei intelligendum. Hæc enim ratio, nisi mea me fallit opinio, ineunda est. Adjectivum εὔπλοος pertinet ad istiusmodi vocabula, quæ duplicem habent potestatem, ut et active et passive dicanturr. Itaque ponitur εὔπλοος vel de eo, qui bene navigat, vel de loco, ubi bene navigatur, ubi εὔπλοια est, ideoque de loco qui navigantibus opportunus est. Horum significatuum posteriorem cadere puto in locum Theocriti, qui tum hanc præbet sententiam: veniat in stationem navigationi sive navigantibus opportunam *er möge an einen für die Schifffahrt guten Ankerplatz kommen.* Eam interpretationem confirmant verba proxime prægressa.

V, 63. τῆνο κατ' ἆμαρ. Greveri (*Nachträge* p. 9.) verba latine reddita hæc sunt: „Quo die? Num forte eo, quo Ageanax Mytilenas pervenerit? At hunc diem non cognitum habet, postea demum cognoscet, ideoque hoc ipso die indulgere suo genio non poterit! Neque magis intelligendum est tempus, quo domum redierit, nam μεμναμένος v. 69. indicat eum abesse." Qui talia legit, miratur, quod Greverum offendere potuerit res, quam tacito fingi alii poetarum loci testantur. Nam ineptum fuit uberius describere, quomodo ad Lycidam perlatus sit nuntius, Ageanactem Mytilenas feliciter pervenisse.

V. 65. τόν Πτελεατικὸν οἶνον. Non placet articuli vis sic illustrata: „vinum illud, quod omnes norunt, laudant." Nam nemo novit, nemo laudat nisi Scholiastæ. Itaque

*) cf. Ellendt. Lex. Soph. s. v. ἄξενος. De verbo αὐγάζειν, quod ibi legitur, præter Emsl. in Eur. Bach. 595., quem laudat Wunderus, laudari potuit Lucas Quæst. Lexil. I, p. 30.

simplicior videtur hæc interpretatio: vinum, quod habeo in hunc usum, quod reservo ad ejusmodi opportunitates. — *κύαμον δέ τις* — *φρυξεῖ* aliquis, nimirum ex iis pastoribus, qui ei subditi sunt.

V. 76. Orationis color ductus est ex Hom. Od. XIX, 205. ubi de Penelope:

ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης.

Verba Theocriti construenda sunt: *εὖτε κατετάκετο ὥς χιών τις* sc. *κατατάκεται.* Deinde *ὑφ' Αἷμον* sub Haemum i. e. Virgilianum (Georg. II, 488.) in vallibus Haemi. Id demonstrat epitheton *μακρὸν* i. e. late patentem *langhingestreckt.* Similiter VIII, 2.— Quod v. 77 vulgo legitur *ἐσχατόεντα,* id ne graecum quidem esse putare vix possum, quum alias certe formæ in — *οεις* exeuntes formentur ab adjectivis in — *ος* desinentibus, quamquam, quod ex codd. restituit Meinekius *ἐσχατόωντα,* hujus adjectivi forma usitatior est. cf. Il. X, 206.

V. 81. *μαλακοῖς ἄνθεσσι* non „mollibus floribus“, sed succo mollium florum, i. e. melle collecto ex suavibus floribus. Iterum leguntur *ἄνθεα* de succo florum XV, 16. Greverus (*Nachträge* p. 9.) dicit: „*μαλακὸς* pro *ἡδὺς* insolenter dictum est.“ Minime, nam *μαλακὸς* non est *ἡδὺς* dulcis, sed omnino suavis. cf. supra v. 69. *μαλακῶς πίομαι.* XV, 119. *μαλακῷ ἀνήθῳ.* XVII, 51. *μαλακοὺς ἔρωτας.* -- Historiam, quam hic attingit poeta, non solum Schol. in h. l. ut Wuestem. observat fusius tradidit, sed etiam Pediasimus in Syringa 4. p. 223. ed. Heinsii a. 1604. sive p. 972. ed. Kiessling. Neque tamen adsentior Wuestemanno et Burchardo, qui in historia narranda Scholiastæ fidem sequuntur atque *ἄναξ* „de hero vel domino“ intelligunt. Mihi videtur ipse poeta Scholiastarum expositionem refellere. Etenim si Comatas tantummodo propter capras suffurando ereptas [solus Pediasimus dicit *ἐκ τῶν θρεμμάτων ἔθυεν.*] inclusus esset in cistam, id quomodo dici potuerit (Homerica formula) *κακῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ἄνακτος* factum esse, non satis liquet. Unica caussa inclusionis latet, nisi fallor, in versu 82. Musa per os Comatæ fuderat dulce nectar, i. e. dulcem artem canendi ei tribuerat. Itaque hos versus consideranti Theocritus narrare mihi videtur, Comatam, quum canendi arte maxime excelleret, idque ingratum esset regi cuidam (i. e. nobili viro, cujus greges pascebat), ab isto rege in arcam ex cedro factam inclusum esse, ut moreretur, sed advenisse apes eique mel attulisse, quo conservaretur. Post integrum annum regem aperuisse illam arcam, Comatamque, quem jam pridem mortuum putasset, vivum invenisse. Scripsi ego quidem post integrum annum id factum esse. Nam *ἔτος ὥριον* ex mea quidem sententia non est „annus tempestivus“ neque „totum ver“ neque „æstas“, sed significat omnes anni horas vel omnia anni tempora i. e. integrum annum. (Vulgatæ interpretationes haud dubie originem duxerunt ex

Scholiasta*). cf. Philetæ verba *ἐκ Διὸς ὡραίων ἐρχομένων ἐτέων* 13, 2. p. 48. ed. Bach. — Verbum *ἐξεπόνασας* elegantius est quam *ἐξετέλεσσας*. Quum enim proprie significet: laboribus aliquid efficere, deinde labores perferre, ergo h. l. pertulisti illum laborem per integrum annum: apparet, alteram scripturam *ἐξετέλεσσας* nihil esse nisi interpretationem profectam ab aliquo librario, cui in mentem venerunt Homerica: Il. XVIII, 79. Od. II, 110. III, 99. IV, 329. XIX, 156. XXIV, 146. et imprimis Od. XI, 294. XIV, 293.

V. 86. Dativum *ἐπ' ἐμοὶ* omnes codices communi approbant consensu, recentiores interpretes fere omnes præter J. A. Jacobsium atque Boissonadum conjecturam *ἐπ' ἐμεῦ* anteposuerunt. Sed hunc genitivum, cujus explicatio tam plana, tam aperta est, ab omnibus librariis sine ulla discrepantia mutari potuisse in dativum, mihi parum credibile est. Idcirco consideratius egisse mihi videntur, qui contra tot codicum suffragia quidquam novare noluerunt. Alioqui enim ipsum poetam corrigere facile periclitamur. Neque tamen præfero ego dativum propter eam caussam, quam Kiesslingius affert, quod *ἐπὶ* dativo adjuncto significet „temporis continuitatem". Id Kiessl. ipse non amplius probabit. Res enim hæc est. Præpositioni *ἐπὶ* genitivum adjungere ad tempus significandum constans est Græcorum usus. Sed apud poetas bucolicos, si ab hoc loco discesseris, non aliud hujus usus exemplum invenies. Vide sis locos omnes: Th. II, 139. IV, 17. VI, 12. 33. VII, 125. IX, 30. XI, 14. 17. XIV, 34. XV, 121. XVI, 31. XVII, 43. 127. XXI, 60. XXII,6. XXV, 11. 48. 57. 257. XXVI, 8. Epigr. XI, 3. Bio IV, 16. Mosch. II, 48. 141. IV, 88. 101. 115. At præpositio *ἐπὶ* cum dativo dicta fere numquam conjungitur cum verbis, quæ tempus designant, et habet potius condicionis notionem. Ita Homerica illa *ἐπὶ νυκτὶ* (Il. VIII, 529.), *ἐπ' ἤματι* (Il. X, 48. XIX, 229. Od, II. 284. XII, 105. XIV, 105.) non significant noctu, interdiu, quæ interpretatio proposita est a grammaticis**), sed reddunt aut quod nos dicimus: *für eine Nacht, für einen Tag*, aut: quoque die, quotidie. Prior ratio convenit locis

---

*) Similiter erratum est in explicando vocabulo *ὥρῃ*. veluti Il. II, 468. Od. IX, 51. *ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ*. Plerumque interpretantur „verno tempore", atque adeo Nægelsbach., alias diligens Homerici sermonis observator, adnotavit in Il. II, 471. „*ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ* explicat *ὥρῃ* v. 468." Non recte; *ὥρῃ* simpliciter est suo tempore, *wie viel Blätter und Blumen entstehen zu ihrer Zeit*. Quum enim *ὥρα* per se significet tempus aliquod, quod certo intervallo redit, additis demum aliis vocabulis declarari solet, quod tempus sit intelligendum. Ita *ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ* Il. II, 471. XVI, 643. Od. XVIII, 367. sive *εἴαρος* Il. VI, 148. *χειμερίῃ*. Od. V, 485. et sic similia.

**) cf. Matth. §. 585. p. 1369. extr. ed. III. Rostius Gr. §. 106. p. 510. ed. V. hunc usum prorsus silentio prætermisit. Kuehner. Gr. min. §. 522. scripsit: *ἐπὶ mit dem Dativ. 2) In temporeller Beziehung zur Angabe einer genauern Bestimmung irgend eines Zeitraumes, in dem etwas geschehen ist.* [adde: *oder geschehen wird.*] *ἐπὶ νυκτί* Il. *θ*, 529. Similiter Passovius in Lexico s. v. *ἐπὶ* II. B. p. 806. ed. IV. Sed qualis sit accuratior illa definitio, et

Iliadis [et Hesiodi Op. et D. 43: *sonst könntest du für einen Tag arbeiten, so dass du auf's ganze Jahr hättest*], posterior Odysseæ. Porro ubi pronomen accedit Il. XIII, 234. ἐπ' ἤματι τῷδε est: *für diesen Tag*. Similiter Il. XIX, 110. præpositio addit condicionem, ut hoc ipso die natus sit. Contra quod legitur apud Soph. Oed. Col. 688. αὖτ' ἐπ' ἤματι (qui locus conferendus est cum Od. XIV, 105.) interpretandum est: uno quoque die. Ellendt. Lex. Soph. I. p. 650. explicat: „die post diem, altero alterum insequente." Non recte explicatur (in Jahnii Annal. philol. et pædagog. 1836. Vol. XVI. fasc. I. p. 113.) verbis: „*am Tage, und zu bestimmten Stunden.*" Jam inspiciamus locos bucolicorum, quos quum semel congesserim huc transcribam. Th. I, 40. 47. 51. 133. 150. II, 23. 40. 48. 113. V, 47. VI, 13. 20. VII, 53. 54. 122. 155. IX, 3. [quamquam ego quidem probo ὑπὸ.] X, 31. 35. XI, 4. 31. 33. XII, 10. XIII, 13. 49. 53. XIV, 64. 66. XV, 20. 72. 115. 133. XVI, 14. 60. XVII, 83. 101. XVIII, 37. 58. XX, 24. 34. XXI, 12. XXII, 70. 74. 142. 145. 149. 192. XXIII, 49. 55. XXIV, 17. 90. 138. XXV, 33. 88. 94. 133. 151. 218. 252. 259. 276. Epigr. III, 4. X, 3. XVIII, 2. — Bio I, 7. 81. 87. II, 3. IV, 5. XIII, 2. Mosch. II, 64. 72. 87. 102. 125. III, 31. 40. 52. 76. 115. 120. IV, 3. 21. 67. 96. 97. 111. Quos locos qui accuratius inspexerit, unum tantummodo extare, qui huc referendus sit, animadvertet. Th. XXIV, 138. enim de parvo Hercule leguntur:

αὐτὰρ ἐπ' ἄματι τυννὸν ἄνευ πυρὸς αἴνυτο δόρπον.

Kiessling.: „post diem, finito die", quod probavit Wuestemannus. At ea significatio, quæ VI, 20. et alias accommodata est, in hunc locum notionem ingereret supervacaneam; nam per se intelligitur, si quis δόρπον sumat, id fieri „die finito." Itaque mihi videtur quoque die, quotidie unice vera interpretatio. His in transcursu adscriptis redeam ad locum, unde digressus sum. Lectionis ἐπ' ἐμοὶ explicandæ duplex, nisi fallor, ratio potest admitti, una ut collato Id. XV, 72. interpretemur: Utinam penes me sit, ut in vivorum numero versareris, altera ut sententiam sic conformatam esse cogitemus: Utinam in vivis esses, et in mea vicinia versareris. Posterior ratio mea quidem sententia præstat. Etenim non opus est notio „mea aetate" (ἐπ' ἐμεῦ), quoniam, si quis optat: Utinam ille homo viveret, per se patet, optationem pertinere ad tempus optantis. At multum confert ad sententiam ἐπ' ἐμοὶ, quum Comatas in vivis quidem esse potuisset, sed in remota regione vivere. Nunc autem Lycidas utrumque optat, ut et viveret et in sua vicinia versaretur. Hanc autem duplicem optationem poeta statim una sententia comprehendit.

V. 90. Vulgo: ἀνεπαύσατο requievit, ἀπεπαύσατο desiit dicere. Itaque dubito, quin h. l. vera sit scriptura codicis K. ἀνεπαύσατο, quod verbum magis convenire videtur

qua ratione ἐπὶ et ἐν inter se differant, hoc est quod quæritur. Etiam Spitzner. in Il. X, 48. judicavit, ἐν ἤματι et ἐπ' ἤματι epicis idem significare. At præpositiones ἐπὶ et ἐν in ejusmodi nexu plane idem valere mihi quidem vix umquam persuadebitur, quamquam interpretes ac grammatici sine ulla dubitatione contenderunt.

loco I, 137. — Tum junge: *μετὰ τὸν δὲ αὖθις ἐφάμαν καὶ ἐγὼ τοῖα,* ***nach diesem aber wiederum sprach auch ich folgendes.*** *τοῖος* ad sequentia refertur etiam XXV, 192.

V. 94. *ἀλλὰ τόγ' ἐκ πάντων μέγ' ὑπείροχον, ᾧ τυ γεραίρεν*
ἀρξεῦμ'.

Offensioni mihi est *τόγε*, quod qui attentius legit positum esse putat poetarum more pro *ὅ γε* hoc sensu: quod quidem omnium est excellentissimum carmen, ita ut exspectetur novum verbum: quod quum non sequatur, potius *τόδε* poetam scripsisse verisimile est, præsertim cum particula *γε* huic loco non magis apta esse videatnr quam III, 27.

V. 96. „Vulgo *ἐπέπταρον*, quod cum adjectivo *δειλὸς* vix convenire poterat. Sumsi ex uno codice *ἀπέπταρον*, quod malum omen significabit.“ Hæc est adnotatio Boissonadi, quem mireris non attendisse sententiarum cohærentiam. Poeta enim sese ipsum opponit Arato: *Σιμιχίδᾳ μέν — Ἄρατος δέ* [*Ἄρατος* i. e. *ὁ Ἄρατος* scripsi ex quattuor bonæ notæ codd. quum in forma *ὤρατος* vix agnoscas nomen Arati]. Dicit igitur poeta: Mihi quidem favent Amores, Aratus autem tenet sub visceribus i. e. in imis præcordiis desiderium pueri, quem opto ipsi esse aptum atque facilem. Porro in vocabulo *δειλὸς* nemo hærebit, nisi homo natione Franco—Gallus, cujus gentis mobile atque mutabile ingenium vel in amore cernitur. Neque tamen cum Wuestemanno cogites „multa mala gravesque cruciatus“ amantium. Spectat potius ad sollicitudinem, qua qui vehementer amat ac deperit continuo vexatur. Quo sensu Horatius quoque (Epod. XIV, 13.) ad Maecenatem scribit: „ureris ipse miser.“

V. 99. . . . . *οἶδεν Ἄριστις,*
ἐσθλὸς ἀνὴρ μέγ' ἄριστος, ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδεν
Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι,
ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ' ὀστέον αἴθετ' ἔρωτι.

Græfius Epist. Crit. p. 28: „Equidem sic statuo, ut pro *ἄριστος* nomen *Ἄριστις* repetendum putem vel invitis libris omnibus. Quis unquam conjunxit: *ἐσθλὸς ἀνὴρ μέγ' ἄριστος*, quo nihil vidi languidius!“ Exempla repetiti nominis, quæ ex hoc carmine addidit (v. 57 et 59. 118 et 119. 149 et 151.) ab hoc loco aliena sunt, et potius spectant ad illud genus repetitionis, de quo nuper disputavit Schneidewin. Conjectt. Crit. p. 81. Kiesslingio videtur poeta in vocabulis *Ἄριστις* et *ἄριστος* lusisse, cujus rei desidero ego idoneam caussam. Speciosa est sententia Briggsii, pro *μέγ' ἄριστος* conjicientis *μὲν Ἄριστις*. Boissonadus post *ἐσθλὸς* [ubique retinuit in altera quoque editione scripturam *ἐσλὸς*] orationem distinxit, sed præter necessitatem. Omnino genuina videtur lectio vulgata, atque statuenda esse hæc differentia, ut *ἐσθλὸς ἀνὴρ* ad nobilitatem generis, *μέγ' ἄριστος* ad nobile ingenium et mores referatur. Aristin autem fuisse quendam sodalem et amicum Arati, et talem quidem qui excelleret arte poetica, conjicere licet ex ipsis Theocriti verbis, imprimis ex versu 102., qui suspensus est ex verbo *ἀείδεν*. Nam sensus

est: non invideat, i. e. non improbet ipse Apollo, si canat Aristis, quemadmodum Aratus, per puerum incensus, in imis medullis ardeat. Kiesslingii explicatio, qui sequitur H. Vossium in Not. p. 29., Aristin cogitandum esse tamquam citharoedum, qui ab ipso Apolline edoctus Arati amores noverit, nescio quid frigidi continet.

V. 103. Vix dubito quin ex codd. plurimis restituenda sit forma Ὁμόλω repudiata in antiquis editionibus, ut videtur, propter hiatum, quem in arsi immerito reformidabant.

V. 105. Hermanni dissertationem in Oed. Col. præf. p. XVI sqq. atque discrepantiam unius codicis consideranti nescio an probabilis videatur hæc conjectura: εἴτ' ἄρ' ὅγ' ἐστὶ Φιλῖνος κτλ. sive ille est Philinus sive alius quis. Videtur enim vulgata scriptura aliquid inconcinni habere, quum Simichidam ignorare non potuisse nomen pueri, cujus amore Aratus arderet, totum carmen aperte demonstret. cf. v. 118. 121. Quare neque illud huc quadrat, quod in Wuestem. ed. Fr. Jacobs. [ex Homero ut videtur] observavit, hanc esse precum formulam, qua error caveatur. Mihi videtur locus sic accipiendus esse, ut non solum Philinus, quem Aratus illo tempore amavit, sed ii etiam, quos postea Aratus amaturus sit, indicentur. Idcirco pronomen τὸν v. 103. non ad solum Philinum, sed etiam ad verba εἴτε τις ἄλλος referendum esse existimo.

V. 108. κρέα τυτθά Wuestem. intelligit „de præda a venatoribus facta.„ Cur? Simplicius referas ad solas carnes, quas pueri ex sacris accipiebant, nimirum ab iis, quorum erat festum illud instituere. Quæ carnes si pueris nimis parcæ darentur, ipsum deum, tamquam κρέα τυτθὰ præbentem, flagellabant. τυτθὸν, tantillum, quasi pronomen demonstrativum est. Cæterum optativos non accurate explicare videtur Wuestemannus. Nam μαστίσδοιεν denotat, nisi fallor, simplicem optationem (Si Philinum in caras manus Arati inclinaveris, optamus, ne — flagellent), contra παρείη indicat rem in sola cogitatione positam.

V. 115. λιπεῖν aliquem locum dicuntur dii, qui implorati ab hominibus sua sede relicta adveniunt ad eorum præsens auxilium. Verba ἕδος αἰπὺ accipe de templo, cujus moenia in altitudinem exstructa sunt, etsi templum ipsum in molli calamo i. e. in loco palustri situm fuit. cf. XXVIII, 4. Κύπριδος ἱρὸν καλάμω χλωρὸν ὑπαὶ 'παλῶ. [De hoc loco liceat mihi pauca hic statim adjungere. Meinekius cum signo corruptelæ retinuit ὑπαπάλω, Hermannus in Zimmermanni Diurn. antiq. a. 1837. p. 232. proposuit ὑπ' ἀμπάλω i. e. æolice dictum pro ἀμφιάλου. Sed ἀμφίαλος ponitur vel de loco, qui ab utraque parte mari circumdatus est, ut bimaris Corinthus, vel de insula, quæ ab omnibus partibus cicumflua est, ut Ithaca. Num vero alterutrum cadit in templum Veneris? Ahrens. de dial. Aeol. p. 275. exhibuit ὑπ' ἀπαλῶ, quamquam in prima syllaba correpta offendit. Ego quidem in conjecturam supra statim adscriptam incidi, ut primum legi Hermanni et Fritzschii emendationem in Aesch Eumenid. v. 533. λαπαδνόν. Formam ὑπαὶ substitui jam voluit Wartonus.].

V. 120. *καὶ δὴ μὰν ἀπίοιο πεπαίτερος.* Verba *καὶ δὴ μὰν* neque „atqui sane“ neque „attamen“ neque „atqui jam“ significant, sed simpliciter: jam nunc profecto. Porro Wuestem.: „mollior es piro i. e. jam exolescis.“ Sed nulla est caussa cur h. l. poeta Philinum alloquatur; cum alloquuntur potius mulieres, poeta ipse tertia persona utitur: jam nunc profecto ille piro flaccidior est. — De particula doloris *αἰαῖ* conjunctim scribenda cf. Herm. in Soph. Philoct. v. 1107. ed. II. et Ellendt Lex. Soph. I. p. 31.

V. 122. *μηκέτι τοι φρουρέωμες.* Boissonadus conjecturam, quam nondum recepit in editione, proponit in Psellum de op. dæm. p. 273. Not. 9. sic scribens: „Illud *τοι* abest ab codicibus plerisque. Cogitavi de rescribendo *τόν*. Scholiastes vetus eo me ducit *μηκέτι αὐτὸν φυλάσσωμεν.* Videtur *τὸν* per *αὐτὸν* interpretari. In Luciano D. M. 13, 5. pro *καὶ τὸν πλοῦτον* est *καὶ τοι πλ.*, quæ permutatio tentamen meum vindicat.“ Facilis sane conjectura est, neque tamen necessaria, quum *τοι* adhortativæ verbi potestati multo melius conveniat: *wir wollen ja nicht mehr wachen.* Porro Scholiastes, ad quem provocat, potius universam sententiæ vim exposuisse, quam illud *τὸν* diligentius reddidisse cogitandus est.

V. 126. Miror quod Wuestem. de adjectivo *γραία* vel paulisper dubitare, atque adeo in indice p. 420. scribere potuerit: „*γραία* utrum substantivum sit an adjectivum VII, 126.“ Nam propter versum syllaba produci non potuit, quod in quinto pede inauditum esset. Immo *γραία* longum *α* habet utpote fœmininum adjectivi *γραῖος* pariter ac *γεραιά* VI, 40. Locus quem attulit Spitzn. Prosod. §. 17. 1. not. procul dubio est error operarum.

V. 132. *Ἀμύντιχος* eleganter vertit Heinsius „Amyntulus.“ De istiusmodi terminationibus, quæ apud Dorienses frequentatæ fuerunt, subtiliter disserit G. Bernhardy in historia Græcar. litterar. Vol. I. p. 24. — V. 133. restituendum est, opinor, ex optimis codd. *σχοίνοιο*, quod jam legit Scholiastes. Nam junci molles ac tenues ad stratum humi faciendum multo aptiores esse videntur, quam rami lentisci. Recte Heinsius:

Pergimus et formosus Amyntulus, inque profundis
Continuo juncis provolvimur hinc atque illinc.

V. 138. *αἰθαλίωνες.* Quum quæ a verbo *αἴθειν* derivantur vocabula ad colorem referri soleant, puto ego idem cadere in vocem *αἰθαλίωνες.* i. e. fuscæ cicadæ. — In explicanda formula *ἔχειν πόνον* justo fortioribus vocabulis usus est Wuestem. Significat laborare, i. e. continuo et studioso quodam cantu inter se disceptare. Præter Valckenarium in h. l. etiam Boissonadus in Eurip. Hecub. v. 567. exempla congessit, quæ inseruit suæ editioni Matthiæ. T. VI, p. 63. — Quæ avis sit *ἁ ὀλολυγών* ambigunt. Sed verisimillima sententia est, qua intelligunt ranam viridem *(Laubfrosch).* Proprie enim dicitur verbum de voce ranarum. cf. Aristot. H. A. IV, 9. Egit de ea re Schneid. Vol. III, p. 248. Accommodatum quoque est verbum *τρύζεσκεν* (frequentativo molestiæ quædam notio inest.) i. e. stridulum ac tristem aliquem

sonum edebat. De origine vocabuli, quam indicat Schol., disserit Lobeck. Paralipp. p. 132. Not. 23. — Verba περὶ πίδακας ἀμφὶ vulgo minus accurate vertunt: „volitabant circa fontes.“ Omissum est ἀμφὶ adverbialiter positum, ergo: circum circa. cf. I, 55.

V. 155. ἐπὶ σωρῷ αὖτις ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον. Legenti in mentem venit similis color orationis apud Hom. Od. XI, 77. πῆξαι τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμόν. 129. γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμόν. Sed in ejusmodi locis comparandis plane adsentior Wuestemanno in VIII, 66.

Idyllium VIII.

V. 3. Vocabulum πυρροτρίχω de flavescente prima barbæ lanugine accipiendum esse ut putem his caussis adducor. Primum in duobus aliis Theocriti locis (quos jam comparavit Græfius Epist. Crit. p. 23.) VI, 3. XV, 130. vocabulum pariter positum est. Deinde πυρρός idem valere quod ξανθός ut credam desidero certa exempla. Apud Theocritum certe est rufus IV, 20. XV, 53. de capillis XXV, 244. πυρσαὶ — ἔθειραι. Contra flavus dicitur ξανθός II, 16. 78. VII, 116. XIII, 36. XVII, 103. ξανθοκόμας Πτολεμαῖος. XVIII, 1. ξανθότριχι πὰρ Μενελάῳ. Et hunc locum postremum respicienti credibile est, poetam, si flavas comas significare voluisset, ξανθοτρίχω dixisse. Quod denique afferunt, explicationi a me probatæ parum respondere ἀνάβω (quæ mihi quidem videtur caussa fuisse mutationis ἐνάβω *)), id non multum valebit, si memineris, in carmine pastores sæpe tamquam pueros repræsentari. cf. v. 15. 61. 81. X, 52. Atque si in auxilium vocaveris, quod Hermannus acutissime perspexit, alterum carmen esse puerorum ab amore adhuc alienorum, eo minus offensui erit utriusque vocabuli conjunctio. Comparare libet, quamquam aliter intelligendus est locus, Virg. Aen. X, 324. „Tu quoque, flaventem prima lanugine malas — securus amorum.“

V. 5. πράτος δ' ὦν. Non omni ex parte conveniens est interpretatio: „primus igitur,“ nam ὦν in continuando ut nos *indessen*, cum vi quadam affirmandi. — V. 7. sensus est: quantum tibi placet mecum contendere, ego canendo me puto fore superiorem. ὅσσον θέλω ut volo i. e. pro lubitu meo, ut mihi libet. Ita XII, 23. ὑπέρτεροι οὐρανίωνες ἔσσονθ' ὡς ἐθέλοντι **) XV, 41. δάκρυ' ὅσσ' ἐθέλεις. XXVII, 17. βαλλέτω ὡς ἐθέλει. (sed Meinekius totum versum, quia turbat æquabilem dialogi cursum, delevit.).

V. 10. οὔποτε νικασεῖς μ', οὐδ' εἴ τι πάθοις, τύ γ' ἀείδων.

---

*) Quæ Boissonadus adnotavit: „Fateor nonnulla ἐρωτικωτέρως cani quam pro τῶν ἀνάβων ætatula. Sed tunc juvenculi graviora patiebantur et agebant, infandum in modum corruptis moribus publicis ac privatis,“ ea in hoc quidem carmen non cadunt. Sed Boissonado nondum cognita fuit ea quam Hermannus sagacissime perspexit utriusque carminis discrepantia.

**) Non opus est forma ἐθέλοντιν, quia postposita est major distinctio. Hanc enim ob rem non offendit hiatus, etiam propterea ille non improbandus, quod doricæ illæ terminationes litteram ν, quæ propriis adjicienda est, numquam adsciscunt. cf. grammaticum in Crameri Anecd. I. p. 147., quem locum jam attulit Bergk. Act. Societ. Græc. Vol. I. fasc. I. p. 197.

Hujus versus, sic distinguendi ut *τύ γε* referatur ad *νικασεῖς* et *ἀείδων*, hæc est sententia: Fortasse alius peritior quam tu es me vincet, tu quidem canendo me numquam vinces, neque si quid tibi acciderit i. e. (*οὐδ' εἰ διαῤῥαγείης ᾄδων.* Schol.) si te rumpas, si moriaris.

V. 13. *καὶ τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη;*

In vulgata interpretatione „deponemus" neglecta est medii potestas, quapropter adde vel: inter nos, vicissim vel: ex nostris rebus. — *ὅτις ἄρκιος.* Quemadmodum Theocritus *ἄεθλος* de praemio certaminis consulto posuisse videtur ex communi sermone, quoniam homines inferioris condicionis minus accurati sunt in ejusmodi rebus, ita contra Homerus *ἆθλα* jam dixit certamina ipsa Od. VIII, 160. porro Hesiod. Op. et D. 654. (de ludis funebribus); Antiphilus Byz. in Delect. Epigr. ed. Jacobs. IV, 8. 4. p. 82. Adde Poppo. in Thucyd. Part. III. Vol. 1. p. 86. — In voce *ἄρκιος* explicanda dissentiunt. Buttmanni (Lexil. II, p. 36.) ratio artificiosior videtur Gœttlingio in Hesiod. Op. et D. 351., sed probata est ab Hermanno Opusc. VI, 1. p. 231. extr. Mihi in Theocriti quoque locum quadrare videtur explicatio: quod commodum sit, *ἐπιεικές.* cf. Lehrs. Quæst. Epic. p. 248.

V. 14. *θές γε.* Particula *γε* deest in permultis codd. Speciosa quidem est Briggsii conjectura *τὺ δὲ θεὶς ἰσομάτορ' ἄγ' ἀμνόν*, sed *ἄγε* hoc loco inutilis videtur. Num forte scripsit poeta *θέσ'* imperativum medii, i. e. depone ex tuis rebus?

V. 17. *τί δὲ τὸ πλέον ἑξεῖ ὁ νικῶν;* quid lucri faciet victor? i. e. quid ille plus habebit, quam alter. cf. Epigr. VI, 5. Th. I, 20. *τὸ πλέον μώσας*, *das was das Höhere ist des Gesanges*, ergo *ἐπὶ τὸ πλέον ἱκέσθαι μώσας* est: ulterius progressum esse in carmine i. e. in arte canendi. Hoc loco per *τὸ πλέον* intelligitur *ὁ μισθός, τὸ ἄεθλον.*

V. 19. Hi pastores possidebant fistulam *ἐννεάφωνον*, novem voces habentem, i. e. novem calamos. Fistula pastoricia plerumque ita comparata erat, ut alter calamus juxta alterum compactus et cera oblitus esset, et sic quidem ut calami et longitudine et crassitudine dispares a maximo usque ad minimum descenderent.

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera jungitur usque minor.

Ita Tibull. II, 5. 31., ubi Brouckhusius alios locos congessit. *) cf. qui de hac syringis ratione optime exposuit J. H. Vossius in Virg. Ecl. II, 35. p. 56. ed. II. Hæc igitur hodie nota sunt. At verba quæ apud Theocritum sequuntur *ἶσον κάτω ἶσον ἄνωθεν* quid significent, neque ab antiquis neque a recentioribus interpretibus explanatum est, si exceperis Greverum (*Kl. Beiträge* p. 69.), qui hæc adnotavit: „*ἶσον*

*) L. Dissen. in Tibull. Commentar. p. 281. conferri jubet Achill. Tat. VIII, c. 6. p. 174. edit. Jacobs., quem locum inspicere mihi non licuit.

κάτω, ἴσον (sic) ἄνωθεν, *nicht zu verstehen, als ob der untere und obere Theil der Syrinx parallel war, (wiewohl in Abbildungen von Antiken diese Hirtenflöte nicht immer so sehr abfällt, wie man der Natur der Töne gemäss vermuthen sollte), sondern sie war wol, wie sie Tibull beschreibt. Es scheint demnach mit diesem* ἴσον *nur das ebenmässige proportionale Abnehmen angedeutet, nach welchem die Rohrpfeifen eine ununterbrochene Linie bildeten.*" Sed hæc adnotatio rem non illustrat. Nam non solum ἴσον quid sit et de quo dictum, verum etiam verba κάτω et ἄνωθεν quo referenda, qua ratione accipienda, quomodo cum cæteris verbis nectenda sint, facile quis dubius hærebit. Etenim in syringe dubitari potest, num ἄνω intelligendum sit de ea parte, quæ ori admovetur et in quam spiritus exit ore, atque κάτω de opposita parte, an accipiendum sit ἄνω de brevioribus cannis acute sonantibus, atque κάτω de calamis, qui sonum edant profundum. Sed quum de sono profundo ὕπατος græce dici soleat, prior explicandi ratio verisimilior est. Nunc quæritur, pertineatne κάτω et ἄνωθεν ad καρὸν ἔχοισαν, quo facto ἴσον adverbialiter positum esset atque verba significarent, fistulae superiorem partem, ubi inflabant, aequali modo cera junctam fuisse atque inferiorem, an ἴσον accipiendum sit pro adjectivo, ut σῦριγξ ipsa ἴσος κάτω ἴσος ἄνωθεν vocaretur. Ego quidem posterius verum judico, quoniam prius per se intelligitur, si quis fistulam dicit alba cera compactam. Itaque oratio poetæ recte distinguitur post καρὸν ἔχοισαν. Quid nunc ἴσον significat? Greveri explicationem usui linguæ repugnare nemo non videt. Ubique ἴσον denotat id quod est æquale, atque hæc significatio etiam huic Theocriti loco quam maxime conveniens est. Nam Vossio auctore extat in Biblioth. Gotting. antiquarum litterarum et Artis fasc. IX. nummus Syracusanus Landolinæ, in cujus altera parte hæc fistula novem tuborum longitudine æqualium repræsentatur. Duplex igitur, nisi fallor, fistularum genus distinguendum est: unum vulgare ex cannis inæqualibus sive lino junctum, sive cera compactum, sive vinculorum circulis constrictum; alterum e tubis æqualibus compositum. In hoc altero genere, quod h. l. poeta memoravit, videntur angustiora foramina acutos sonos, latiora graves edidisse. Adsentior igitur Vossio l. l. rem ita explicanti.

V. 21. ἦ μάν τοι κἠγώ vulgo non accommodate in latinum sermonem convertunt: „atqui et ego." Nam ἦ μάν asseverantis est. cf. M. Devarii Liber de Graecæ Linguæ particulis p. 100. ed Klotz., et τοι nostrum *ja.* Totum igitur germanice dixeris: *wahrhaftig ich habe ja auch eine solche Flöte u. s. w.*

V. 26. τῆνόν πως ἐνταῦθα τὸν αἰπόλον ἢν καλέσωμες, pariter ac nos et Latini: si vocaverimus, *wenn wir nun etwa* (πως) *diesen Ziegenhirten hieher riefen*, sc. tum ἄμμε τις κρινεῖ καὶ ἐπάκοος ἔσσεται ἀμέων. Minus recte locum exposuit Wuestemannus.

V. 30. λαχὼν non „sortitus", ut mihi videtur, sed forte prior cecinit, atque ἰυκτὰ puto idem valere quod nostrum *der Jodeler.* Schol. ὁ λιγύφθογγος.

De elegiaca metri ratione, quæ inde a versu tricesimo tertio sequitur apud poetam, post Hermannum doctissime egit N. Bachius in egregio libello: **Quaest. Elegiac. Specim. I.** Fuld. 1839. p. 14—21. Is suspicatur „Theocritum adolescentem carmen illud amoebæum distichis inclusisse, eundem vero, quum ad maturiorem et ætatis et artis gradum pervenisset atque bucolico carmini metrum heroicum omnium aptissimum esse sensisset,' in distichorum locum substituisse hexametros." Tum pergit vir sagacissimus: „Facile fieri potuit ut duo carmina amœbæa a Theocrito diverso temporis spatio composita grammaticus quidam, fortasse jam Artemidorus, ita in unum conjungeret, ut priori loco insereret id quod tempore fuit prius, posteriori autem id quod poeta scripsit ætate jam provectior." Sed huic conjecturæ ingeniosæ pariter atque Hermanni sententiæ obstare mihi videtur, quod non verisimile est, duos pastores **judice advocato** deinceps uno tenore cecinisse. Nam ubicunque duo; pastores alium quendam qui judicandi partes suscipiat advocaverunt, ita canere solent, ut alter alterius orationem non semel sed sæpius pari versuum numero excipiat. Ubi autem poeta duos pastores uno quemque carmine continuo decertantes fecit, non commemoratus est judex. Id vero factum esset hoc loco, si poeta servatis versibus 25—29. putandus esset nihil scripsisse nisi alterum carmen (v. 63 — 67.). Quare mihi satis probabile videtur, ipsum Theocritum ita condidisse hoc idyllium, ut utrumque carmen in unum conjunxerit. Neque vero poeta id eo consilio fecisse videtur „ut prouti quis vellet alterum eorum carminum adscisceret", sed potius ut fingeret illos pastores, qui amasiorum desiderio frustra caperentur, amoris vim statim lenivisse eo cantu addendo, quem inde a pueris in deliciis habebant. Inde diversum posterioris carminis argumentum.

V. 35. Adsentior iis, qui *ἐκ ψυχᾶς* præeunte Scholiasta *ἐξ ὅλης τῆς προθυμίας* (*nach Herzenslust*) ad ipsos saltus et fluvios referunt. Conferre licet XXIX, 4. *φιλέειν — ἀπὸ καρδίας.* Bio VI, 2. *ἐκ θυμῶ φιλέοντι.* Deinde nescio cur Bachius et in Anthologia p. 43. et in libello laudato retinuerit illud *ἀμνίδας.* Nam quum hoc loco fere omnes codices præbeant *ἀμνάδας,* quumque eadem forma Id. V, 3. 138. ex duobus codd. enotata sit, atque auctoritas grammaticorum et Lexicographorum, qui unam tantum formam attulerunt, accedat, vix dubito quin vera sit scriptura *ἀμνάδας.*

V. 36. *μηδὲν ἔλασσον ἔχοι.* ne inferior discedat i. e. **ne sit deteriori condicione**: *so möge er es nicht schlechter finden.* Similiter XI, 42. Exempla hujus loquutionis congessit L. Dissen. in Demosth. Orat. de corona §. 124. p. 295.

V. 39. . . . . *κἢν τι Μενάλκας*
τεῖδ' ἀγάγῃ, χαίροιν ἄφθονα πάντα νέμοι.

Wuestem.: „ad singularem *τι* refertur pluralis *πάντα.*" Non recte ut puto; nam verba *ἄφθονα πάντα* de pastu et pratis, neque de gregibus accipienda sunt. Neque *τι* referendum esse puto ad greges, ut statuit etiam Bachius probata Scholiastæ adnotatione (*τὸ ΤΙ ἀορίστως λεγόμενον πληθυντικοῦ δύναμιν ἔχει.*), sed significare videtur nostrum *etwa,*

ergo: et si forte Menalcas hac compulerit scil. gregem suum, quod quum per se intelligatur non opus erat ut diserte adderetur. Nos similiter loquimur: *wenn etwa Menalkas hierher treibt.*

V. 43. Menalcas quum puerum, Daphnis autem puellam depereat, Meinekius hemistichiorum, quæ in versibus 43 et 47. leguntur, sedem permutandam esse [cum Fr. Jacobsio] existimat. His transpositis versibus ita, ut sedem quisque suam cum altero permutaret, ob aliam caussam jam obloquutus est Græfius Ep. Crit. p. 33. Bachius contra Meinekium observat „pastores ludentes invicem sibi exprobrasse amores." Quod meo quidem sensu non inest in orationis colore. Ego de versibus transponendis propterea non cogito, quod alter ex alterius persona loqui mihi videtur, ita ut sensus sit Menalcæ: ego doleo tecum qui amas hanc puellam, atque Daphnidis: ego doleo tecum qui amas Milonem.

V. 53. Admodum probabilis est eorum sententia, qui ante hunc versum Daphnidis tetrastichon excidisse, ideoque v. 53—56. Menalcae, et 57—60. Daphnidi assignandos esse arbitrantur. Quod autem Meinekius in v. 59. scripsit, v. 55 et 56. minus apte Menalcæ tribui videri, et eosdem versus paullo post ipse Menalcæ assignatos vult, id conciliare non possum nisi vocabulum minus deletur. Porro J. H. Vossius (in libello: *Anmerkungen und Randglossen* p. 186.) non ultimum tetrastichon, sed versus 49—52. ab aliena manu illatos esse adnotavit. Contra Hermannum, cui ultimum tetrastichon, quod epigramma potius esset quam pars alicujus carminis, tollendum videtur, Bachius p. 16. alterum scrupulum movet monens verba *μᾶλ' ἐςορῶν* (v. 56.) in solum Menalcam quadrare ovium pastorem, non item in bubulcum. Sed ego putaverim, hunc scrupulum neque Hermanno incognitum fuisse, quum jam motus sit ab H. Vossio in Notis p. 31., neque omnino multum valere. Etenim si caetera justo ordine procederent, *μᾶλα* facile intelligi possent, ut saepe, greges in universum. Gravius vero, ut mihi videtur, argumentum rationi Hermannianæ non favens afferri potest. Hermannus enim dicit, dempto ultimo tetrasticho aptissime utriusque pueri carmen finiri, altero ut ametur optante, altero gaudente quod ametur. At puerum alterum, qui amasium suum pronomine *τυ* (v. 55.) alloquitur, jam amari, id neque reliquum carmen, neque versus 53—56. dilucide produnt. Nam hi versus eam præbent sententiam, ut quicunque eos canit amorem sui amasii præ cæteris bonis exoptare dicatur. — Is autem optare se negat regnum latissimum, opes, pedum pernicitatem. In his verbis mihi etiamnum offensioni sunt *χρύσεια τάλαντα*. Nam ubi quis *τάλαντα* ergo certum pondus dicit, requiri videtur adjectivum quale est *μυρία*, ut apta cogitari possit oppositio, sicuti in exemplis quæ quis conferre potest IX, 19. *πῦρ δρύϊνον*. Hom. Il. XIV, 289. *ὄζοισιν εἰλατίνοισιν*, pariter in adjectivis formatis a nominibus propriis. Sed nemo dicet talenta argentea, sive id genus alia. Quapropter mihi probabilis videtur conjectura vel Piersoni: *Κροίσοιο*, vel Jortini: *Κροίσεια*.

V. 56. Wuestem. et Bachius verba ita jungunt: „ἐσορῶν μᾶλα σύννομα ἐς τὰν Σικελὰν ἅλα i. e. prospiciens oves una pascentes Siculum mare versus.“ Sed paullo insolentior est constructio σύννομα ἔς τι, cui etiam verborum collocatio, quæ extat apud poetam, non favet. Simplicior videtur ea ratio, qua unum verbum (id quod sæpe factum videmus.) referatur ad duo similia, ergo: Siculum mare versus prospiciens et videns ita oves una pascentes. De re cf. XI, 18.

V. 68. οὔτι καμεῖσθ' ὅκκα πάλιν ἅδε φύηται. Boissonadus: „Schol. λιμώξετε. Possit et interrogative scribi, οὔ τι καμεῖσθε . . . . ; nonne defatigabimini tondendo herbam? id est, procul dubio defatigabimini.“ Id vix erunt qui probent. Sensus potius est: vos penuria non laborabitis, vobis non deerit copia herbæ, frumentum rursus largiter crescet. Cæterum quod Bachius in Anthologia p. 156. recepit ὅκκ' ἂν mihi propterea displicet, quod vulgaris Dialectus cum dorica commixta est non alia vocula interposita, ut v. 43. 47. αἰ δ' ἄν.

V. 72. κἠμὲ γὰρ ἐκ τῶντρω. Sensus: Non tu solum prædicare potes tuas opes, nam ego quoque habeo, quo gaudeam. — v. 74. multos offendit articulus τὸν πικρὸν, in quem Greverus vehementer invehitur. Sed videtur articulus indicare formulam quandam apud illos pastores solemnem, qua quis usus refutabat, se non esse pulchrum. Greverus vertit: *Ich beantwortete ihr bitteres (ironisches, spottendes) Wort nicht*, quod ferri nequit, quoniam Daphnis prædicat ea quibus vere delectabatur. — V. 76. τὸ πνεῦμα accipio de vitulis, quum spirant lætitia atque ferocia.

V. 81. ἁδύ τι τὸ στόμα τευ correxit Hermannus, recepit Meinekius. Sed quomodo τευ [XXVII, 5. τὸ στόμα μευ.] in τοι mutari potuerit difficile videtur intellectu; quare facilius credam, servato dativo τοι legendum esse ἁδύ τε, ut τε pertineat ad sequens καί. Nam ἁδύ τι scribere potuerunt librarii, qui memores erant initii primi idyllii.

V. 83. Mihi magis placet genitivus τᾶς σύριγγος, prehende syringem, manum admove syringi *ergreife*, quam cape syringes. Genitivum etiam legit Scholiastes: ἆθλον δὲ αὐτοῖς ἡ σῦριγξ ἀπέκειτο, ἣν ἐπιδίδωσιν ὁ κριτὴς τῷ Δάφνιδι ὡς νικήσαντι.

V. 92. ἄκρηβος i. e. qui est ἐν ἄκρᾳ ἥβῃ. Sed potius videtur cogitandum esse de ipso primo flore, itaque recipiendum ἄκραβος.

Idyllium IX.

V. 13. Recentiores plurimi probarunt Tupii emendationem ἐρῶντε. Sed quid dualis sibi velit, ubi quisque exspectat pluralem, non vidi qui apte docuerit. Facillima est

correctio, quam primus proposuit H. Stephanus ἐρῶν τι *), quamque nuper recepit Boissonadus. Tum licet illud τι *etwa*, *in etwas* interpretari. Nam quod hanc lectionem sic intelligunt: quantum amans curat a u d i r e a l i q u i d admonitionum, id non multis amplius placebit. Sed sana videtur librorum scriptura ἐρῶντι. Hunc dativum Burchard. Anthol. p. 211. jungit cum infinitivo, in quo eam vim inesse contendit, ut d e s t i n a t u m a u t c e r t u m esse alicui significet, rem aliquam p e r p e t i a u t c o g n o s c e r e. Itaque locum vertit: „torrentem æstatem æque nihil curo atque amanti certum et fato quasi destinatum est (surdos enim non minus quam cæcos amantes Amor reddit) parentum monita contemnere h. e. nihil æstatem curo atque, qui amat, parentum monita certo nihil curat. Cf. Soph. Oed. R. 823. εἴ με χρὴ φυγεῖν, καί μοι φυγόντι μήτε τοὺς ἐμοὺς ἰδεῖν, μήτ' ἐμβατεύειν πατρίδος. Aesch. Agam. 1324. Ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι — ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ. Hesiod. Opp. 793." [ἵστορα φῶτα γεύασθαι] At hæc explicatio artificiosior est atque perplexior, quam ut probari posse videatur. Nam primum hoc loco non est sermo de re, quam quis a fato quasi destinatam c o g n o s c a t a u t p e r p e t i a t u r, sed de re, quam quis plane contemnat. Tum omnino notio illa, qua rem quandam alicui destinatam aut certam esse indicatur, in tota sententia abscondita latet, neque in solo infinitivo. Exempla denique allata multum distant a loco Theocriteo. Apud Sophoclem nunc recepit μή ʼστι τοὺς ἐμοὺς ἰδεῖν Hermannus, pauca disserens de illa verborum in contrariam partem valentium ratione. Idem consulendus est in locum Hesiodi in Opusc. VI, 1. p. 254. Porro verba Cassandræ apud Aeschylum multo minus comparaverim. Apud Theocritum simplicissima videtur mihi explicandi ratio, ex qua sumamus constructionem πρὸς τὸ σημαινόμενον. Poeta in mente habet μέλει, quod eliciendum est ex μελεδαίνω. ergo: q u a n t u m a m a n t i e s t c o r d i a u d i r e p a r e n t u m a d m o n i t i o n e s.

V. 18. κεῖται extat in multis et bonis codd., atque rectissime probatum est a Meinekio et Boissonado. Wuestemanni adnotatio hæc est: „minime reponendum est κεῖται. Pluralis significat pelles bene pansas esse, quo commodius inde cubile fiat; singularis vellerum in unum locum congestorum acervum indicaret. Cf. Rost. Gr. §. 100, 4. Not. 5. **)" Porro in v. 17. (ubi in suam rem comparare potuisset Mosch. IV, 122.

---

*) Tam levi mutatione egere mihi videtur quod apud Hom. Od. I, 315. legitur: μή μ' ἔτι νῦν κατέρυκε, quæ scriptura quin vera sit dubito, quum in prægressis non proditum sit, Minervam jam semel discessu prohibitam esse. Sed scribe: μή μέ τι νῦν κατέρυκε et omnis sublata est difficultas. Hæc ratio emendandi in memoriam revocat, quæ F. A. Wolfius exposuit in libro: *Vermischte Schriften*. p. 99.

**) Tironum caussa hæcce adjungo. Rostius etiam in novissima editione l. l. docuit, apud prosaicos scriptores verbum plurale neutro plurali plerumque tantummodo adjungi: „*wenn entweder das Subjekt eine Benennung von Personen ist, oder der Begriff des Einzelnen in der Vielheit deutlich hervorgehoben werden soll.*" Pariter judicat Kuehner. Gram. min. § 369. a. b. Sed hæc ratio videtur in multos locos non satis quadrare. Rectius statues, opinor, si in

ὄνειρα ἐπτοίησαν.) adscripsit: „φαίνονται huc illuc vagantia objiciuntur. Quæ vis est numeri pluralis." At omnia istiusmodi discrimina, quæ ab interpretibus in hoc genere loquendi statuantur, non vera esse facillimum est demonstratu. Ego nunc tantum opponam hæc Theocritea: supra v. 9. ἔντι — στιβάς, ἐν δὲ νένασται λευκᾶν ἐκ δαμαλᾶν καλὰ δέρματα. Estne credibile, ad cubile faciendum pelles in unum acervum

---

juvenum usum præceperis, post neutrum plurale verbo plurali locum dari primum, ubi sententia conformata sit κατὰ τὸ νοούμενον, ut scriptor vel in animo habuerit aliud nomen, quod non sit generis neutrius, vel cogitaverit statim de hominibus, ad quos res memorata pertineat. Utrumque factum est in exemplis a Rostio allatis. Plat. Lach. p. 180. E. τὰ μειράκια i. e. οἱ νεανίαι (διαλεγόμενα retinuerunt et Rost. et Kuehner., sed jure suo restituit διαλεγόμενοι Stallbaum., quem vide). Thucyd. VII, 57. in mente habet singulos populos. De Xenoph. Anab. I, 7. 17. Rostius: „*viele einzelne Spuren wurden bemerkt.*" sed dicere licet, numerum pluralem referendum esse ad id, cujus vestigia apparebant. In Cyrop. V, 1. 14. (αἰτιῶνται *als Ausdruck der Handlung, welche jeder der Vielen verrichtet.* Rostius.) scriptor in mente habuit vocabulum ἄνθρωποι. Præterea inspicias Cyrop. VII, 1. 2. Τοσοῦτο δὲ μόνον διέφερον τὰ Κύρου ὅπλα, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα ἐκέχριστο τῷ χρυσοειδεῖ χρώματι, τὰ δὲ Κύρου ὅπλα ὥσπερ κάτοπτρον ἐξέλαμπεν. Ibi Xenophon videtur scribere voluisse τὰ τοῦ Κύρου ὅπλα καὶ τὰ τῶν ἄλλων, sed interpellavit orationem. Plat. Rep. p. 503. D. Οὐκοῦν τὰ βέβαια αὖ ταῦτα ἤθη . . . ἐμπίπλανται „cogitavit de hominibus tali ingenio præditis." Stallbaum. — Deinde numerum pluralem posuisse videntur Græci concinnae cujusdam elegantiae caussa, ubi complura vocabula deinceps verbum plurale adjunctum habent, veluti Xenoph. Memor. II, 4. 7. ἃ δὲ αἵ τε χεῖρες ἑκάστῳ ὑπηρετοῦσι, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ προορῶσι, καὶ τὰ ὦτα προακούουσι. — Præteriens addo Thucyd. VI, 62. καὶ τἀνδράποδα ἀπέδοσαν, καὶ ἐγένοντο ἐξ αὐτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τάλαντα. Poppo Part. I. Vol. I. p. 477. scripsit hæc tantum verba: „qui pluralis [ἐγένοντο] genuinus esse vix potest." et Part. III. Vol. IV, p. 230. „ἀπέδοσαν reipublicae permiserunt, publice vendi siverunt, valere nos non credimus." Ego minime dubito quin scripserit Thucydides ἐγένετο atque ἀπέδοντο, quod J. Bekkerus ex uno codice recepit. Nam ἀπέδοσαν a loquendi consuetudine, quae medium flagitat, prorsus recedit. Genuina autem scriptura hujus loci mihi videtur hoc modo corrupta esse. Librarius quidam, quum in uno codice lectionem depravatam ἀπέδοσαν, in altero veram scripturam ἀπέδοντο invenisset, supra ἀπέδοσαν terminationem οντο adnotaverat. Alius autem librarius notam perperam intellectam retulit ad ἐγένετο, ideoque scripsit ἐγένοντο. — Caeterum de verbo plurali post neutrum plurale posito praeter eos, quos laudavit Matthiae. §. 300. Not. h. i. k., p. 762. ed. III., loquuntur Bornemann. in Xen. Cyrop. II, 2. 2. Gœller. et Poppo in Thucyd. II, 8. Stallbaum. in Plat. Rep. p. 353. B. (lib. I, cap. 24.) Baehr. in Herodot. II, 96. III, 6. Mehlhorn.: Schematis ἀπὸ κοινοῦ ratio et usus quidam in Graeca lingua (Glog. 1833.) p. 11., ubi praeterea alii interpretes laudati sunt. Ipse Mehlhorn. putat numerum pluralem positum fuisse „ut multitudinem vel iterationem in spatio et tempore insigniret." Deinde hunc totum usum pro rhetorico ornamento habet, quod primum raro, saepius postero tempore, denique tam saepe admissum sit, ut vim rhetoricam plane amiserit. Sed ut id verum esse mihi persuadeam nondum adducor. Origo hujus structurae videtur haec esse, ut, si quis genere neutro utatur, totam copiam rerum dicat, quarum complexio unitatem quandam efficiat. Quod ut patefiat, tirones inspicere jubeo locum ad hanc rem aptissimum Hom. Il. XVII, 386.:

γοῦνατά τε κνῆμαί τε, πόδες θ' ὑπένερθεν ἑκάστου,
χεῖρές τ' ὀφθαλμοί τε παλάσσετο μαρναμένοιιν.

Omnia hæc singula membra in unam notionem comprehenduntur, ideoque adjicitur: hoc adspergebatur.

congestas fuisse? V. 56. *ὑπεσσεῖταί δὲ χιμαιρᾶν δέρματα παρὰ τὶν μαλακώτερα πολλάκις ἀρνῶν.* Estne credibile, Comatam, qui Laconem ad se invitat, caprarum pelles ita substravisse, ut unum acervum efficerent? XV, 112. *πὰρ μέν οἱ ὥρια κεῖται.* Estne credibile, juxta Adonidem *τὰ ὥρια* posita fuisse et simul in unum acervum congesta? In loco, unde digressi sumus, eo minus de tali discrimine cogitare licet, quo magis verba *πρὸς κεφαλᾷ καὶ πὰρ ποσὶ* habere videntur speciem proverbii, cujus rei mentionem jam fecit Erasmus Adag. IV, 6. 5. p. 955. Omnino ubicumque apud poetas bucolicos neutrum plurale cum verbo plurali junctum est, unice valet ratio rhythmica. Conferas exempla quæ adscripsi, sequutus ex parte ordinem, quem in Homericis enumerandis proposuit Nægelsbach., in Excurs. XXI (adjecto adnotationibus in Iliadem p. 338.):

I. In exitu hexametri inveniuntur: IV, 24. *πάντα φύοντι* (contra VIII, 68. *ἅδε φύηται.*) VI, 19. *καλὰ πέφανται* (contra XIII, 3. *τὰ καλὰ — φαίνεται ἦμεν.*). XIV, 38. *τὰ σὰ δάκρυα μᾶλα ῥέοντι.* XV, 112. *ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται.* XXI, 57. *μή ποτε — τἀγκίστρια χρυσὸν ἔχοιεν.* In spondiaco exitu: Mosch. IV, 122. *ὄνειρα — ἐπτοίησαν.*

II. Ab initio hexametri: II, 109. *κνυζεῦνται — τέκνα.* IX, 17. *φαίνονται (ὅσσ᾽ ἐν ὀνείρῳ.).*

III. In medio versu. a.) in cæsura quæ *πενθημιμερὴς* vocatur nullum inveni exemplum præter cæsuram pentametri in VIII, 42. *οὔθατα πλήθουσιν.* b.) in cæsura *κατὰ τρίτον τροχαῖον*: XVII, 78. *λήιον ἀλδήσκουσιν.* (præcedunt *ἔθνεα μυρία φωτῶν.*). XXIV, 21. *καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ ἐξέγροντο .... τέκνα* (i. e. *παῖδες.*). XXV, 90. *ὅσσα τ᾽ ἐν οὐρανῷ εἴσιν.* *) Bio I, 32. *ὤρεα πάντα λέγοντι.* VII, 3. *κῦδος ἐμοὶ θήσοντι.* (præcedunt *τὰ μελύδρια.*). c.) in cæsura bucolica: Mosch. II, 43. *ἐν τῷ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο μαρμαίροντα* (cf. Il. XIII, 22.). Præterea Th. XXIX, 3. *κἠγὼ μὲν τὰ φρενῶν ἐρέω κέατ᾽ ἐν μυχῷ.* **) In cæteris locis quos in hunc usum congessi, numero septuaginta sex, legitur numerus singularis.

V. 19. *χορία ζέει.* Vide Greverum: *Kl. Beiträge* p. 80. *Nachträge.* p. 10. Fritzschium in Aristoph. Thesmoph. p. 594. (ubi IV error est operarum), Wesseling. in Herodot. IV. 61. Ex V. T. comparare licet Hesekiel. XXIV, 5. verba extrema.

V. 30. Malim *φύσω*, coll. X, 40. XII, 24., quamquam ne sic quidem *μηκέτι* intelligo. Nam neque „numquam" neque „ne" significare potest. Fortasse aliquot versus antea exciderunt.

---

*) Ita legendum esse pro *εἰσὶν* aperte confirmat v. 95. *τόσσ᾽ αἰεὶ ἦει.* De temporis praesentis significatu, quem *εἶσι* adsciscit, disserit Bergk. in Mus. Rhen. VI, 1. p. 37.

**) Apud Th. I, 134., ubi Meinekius in altera editione jure revocavit vulgatam lectionem *γένοιτο*, miror quod Wuestem. scribere potuerit: „Sed librariorum nullus, opinor, pluralem numerum de suo positurus fuisset." In simili loco VII, 62. *ὥρια πάντα γένοιτο*, non enotata est scripturae discrepantia. Porro X, 32. recte, opinor, praetulerunt singularem.

V. 35. Burchardus verba jungit: *ὅσσον γὰρ ἐμὶν Μῶσαι φίλαι, (τούτου, τοῦ ὅσον—φίλαι) οὔτε ὕπνος, οὔτε ἔαρ—γλυκερώτερον*, subtilius quam verius, ut mihi videtur. Est potius liberior orationis conformatio, eaque explicanda: *οὔτε ἔαρ μᾶλλον γλυκύ . . . . ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι φίλαι.* Nam vocabula *ὡς, οἷος, ὅσος* ita poni satis notum est. cf. Herm. in Vig. p. 719. ed. IV.*)— Tum non recte statuit Wuestem. cum Mitscherlichio, ultimorum Theocriti verborum hanc esse sententiam: „utinam Musæ mihi sint propitiæ.“ Nam particula *γὰρ* spectat ad optationem: *τᾶς μοι πᾶς εἴη πλεῖος δόμος.*

Idyllium X.

Wuestem.: „Qui hic loquentes inducuntur, operarios fuisse mercede conductos ex toto idyll. apparet.“ Sed id jam apparet ex primo vocabulo: nam *ἐργατίνης* est operarius, i. e. qui mercede conductus opus aliquod facit, h. l. ut adjectivum ponitur: operarie bubulce. *βουκαῖος* qui boves quasi urit sc. stimulo, qui boves agit sive junctos in aratro, sive in grege. Milo videtur dicere: tu qui operam tuam locas ad boves agendos. cf. Apoll. Rhod. III, 1322. *δόρυ . ., ᾧ ῥ᾽ ὑπὸ μέσσας ἐργατίνης ὥς τίς τε Πελασγίδι νύσσεν ἀκαίνῃ οὐτάζων λαγόνας.*— Deinde v. 2. non puto præferendam esse lectionem *οὐ τεόν.* simplicior videtur scriptura *οὔτε — οὔτε*, quo facto Milo Battum in universum increpat, quod a recta linea in metendo aberrat. — V. 3. *λαοτομεῖς τῷ πλατίον* non prorsus conveniunt Latinis „cum altero segetem secas.“ Nam *ὁ πλησίος* est propinquus, i. e. aliquis qui forte adest, vel aliquis alius, sicuti nos dicimus *der Nächste* in verbis *πλησίον φιλεῖν*, hoc loco i. q. mecum.

V. 6. *ἀρχόμενος* absolute dictum volunt, ut genitivus *τᾶς αὔλακος* ad *ἀποτρώγεις* pertineat. Sane quidem *ἀποτρώγειν*, propr. abrodere i. e. aliquid ab aliqua re demetere, cum genitivo jungi potest. Sed quum multo facilius sit *αὔλακος* jungere cum verbo *ἀρχόμενος*, h. e. cum verbo, quod natura sua genitivum adsciscit, hæc ratio videtur simplicior et alteri præferenda. Nam *ἀποτρώγειν* natura sua accusativum requirit, qui casus præcedentis vocabuli per se intelligitur. Porro Milo non „hyperbolice“ loquitur, sed uti videtur loquutione proverbiali, quæ ponitur de iis, qui in messe facienda nihil proficiunt.— V. 7. *ὀψαμᾶτα.* Verba latina „messor vespertine“ obscura sunt. Pleraque

---

*) Afferunt praeterea Matth. §. 455. Sed ille grammaticus non ubique in hac paragrapho videtur recte statuisse. Unum tantummodo locum leviter tangam, quum in eo explicando etiam Poppo mea quidem sententia a vero aberraverit. Thucyd. III, 63. *καὶ τῇ ὑστεραίᾳ μετάνοιά τις εὐθὺς ἦν αὐτοῖς καὶ ἀναλογισμὸς ὠμὸν τὸ βούλευμα καὶ μέγα ἐγνῶσθαι, πόλιν ὅλην διαφθεῖραι μᾶλλον, ἢ οὐ τοὺς αἰτίους.* Matth. l. l. dicit, ante *μᾶλλον* negationem deesse, atque Poppo (Part. III. Vol. II. p. 588.) docet, Hermanni regulae (in Vig. p. 799. ed. IV.), ut huc loquendi genus admittendum sit, ubi negans enunciatio praecedat, hunc locum obstare. Non obstat, opinor, sed negatio latet in verbo *μετάνοια*, pœnituit eos, h. e. non amplius probabant suam agendi rationem.

vocabula ex ὀψὲ composita significant vel eum, qui sero aliquid facit ut ὀψιμαθής, vel id quod sero fit ut XXIV, 31. ὀψίγονος, sed ὀψαμάτης est is, qui usque ad seram vesperam metit, ergo sine ulla defatigatione.

V. 9. Wuestem.: „τὰ ἔκτοθεν i. e. τὰ ἔξω τῶν ἔργων . . . . Illud ἔργων ex voce ἐργάτᾳ eliciendum, in qua maxima vis est posita.“ Id ego quidem non dixerim. In verbis inesse mihi videtur proverbium. τὰ ἔκτοθεν quæ extra sunt, quæ non ad ipsam rem pertinent, i. e. desiderium rerum alienarum. — V. 11. μηδέ γε συμβαίη non est: „ne vero accidat“ sed: neque etiam accidat.“

V. 13. ἐκ πίθω ἀντλεῖς δῆλον. hauris manifesto e dolio. Proverbium usitatum de iis qui in lætissima re sunt. Ita recte Scholiastes; δῆλον ironice dictum. Paullo aliter Erasmus Adag. II, 1. 87. p. 386. Quod Wuestem. addit: „amor enim ex abundantia nascitur“ ab hoc loco abhorret. Vossius in Not. p. 33. comparat: *Nun ja, du sitzest warm, man sieht dir's an.* Aptius comparari potest nostrum: *ja du sitzest in der Wolle.* Totus igitur versus hunc habet sensum: tu putas te esse felicissimum, at me infelicissimum, sed scito minime ita esse; nam ego sum felicissimus, ab omni cura ac sollicitudine amantium liber, tu contra qui amoris sollicitudine agitaris infelix es.

V. 14. τοιγὰρ τὰ πρὸ θυρᾶν κτλ. proverbialis est dicendi ratio, propr. quæ ante januam meam sunt i. e. quidquid meum est *(Alles was ich habe).* Itaque sensus est: profecto propter amorem meum omnia mea neglecta jacent.

V. 17. Quæ Wustem. adnotavit, ea ut ego quidem arbritror a mente poetæ plane aliena sunt. Neque recte Burchardus p. 228: „puellam ob deformitatem mox te in cruciatum daturam.“ Sententia poetæ, nisi fallor, hæc est: Invenit deus sontem, et poenam tibi imposuit; habes quæ dudum optabas. h. e. optasti amare, nunc habes nihil aliud nisi cruciatus. Similia haud pauca cum hoc loco comparata sunt in Hermanni editione Soph. Elect. v. 2.

V. 29. Mihi probabilis videtur Hermanni conjectura: ἐν τοῖς στεφάνω τὰ πρᾶτα λέγοντι, de qua loquutione cf. Herm. in Vig. p. 786. ed. IV. Stallbaum. in Plat. Symp. 178. B. (p. 82. ed. II.). Aliter disputat de formulæ origine Bernh. Synt. p. 311. τὰ πρᾶτα, ut sæpius, ea quæ sunt præstantissima. Nostrates dicerent: *die vorzüglichsten, die den Kranz verdienen.* — V. 31. μαίνεσθαι ἐπί τινι in aliquo furere. Hor. Epod. XI, 6. „Inachia furere.“

V. 32. αἰ δέ μοι ἧς ὅσσα κτλ. Formam αἴθε in Meinekii editione vitium operarum esse, ex ejus adnotatione apparere videtur. Utut est, recte scribitur αἰ δέ. Nam αἴθε, quod etiam apud Boissonadum una cum signo exclamandi post πεπᾶσθαι posito legitur,

si vere scribendum esset, desideraretur ante χρύσεοι vocula τῷ, quam certe posuisset Homerus. — κ' ἀνεκείμεθα collocati sive dedicati essemus h. e. faciendas utriusque nostrum statuas curaremus et consecraremus Veneri. Verbo similia comparari possunt haecce Theocritea: XVII, 125: ἵδρυσεν. XXIII, 59: ἵστατο. Epigr. X, 2: θῆκε. XII, 2: ἀναθείς. XVII, 2: ἀνέθηκαν. XX, 7: ἔστασε. — v. 34. Quam vim habeat τύγε illo loco positum non patet. Solent quidem Græci, ubi aliquid in duas partes dividunt, in altero membro pronomen inferre elegantiæ quodam studio permoti, ut I, 124. Hom. Il. III, 409. (alia suppeditat Stallbaum. in Plat. Gorg. 527. D. cap. 83.), sed in hoc versu τύγε tantum ad μᾶλον pertineret. Itaque multum habet offensionis, quod non ad τὼς αὐλὼς pronomen positum sit. Dixerit quis insertam esse particulam μέν. Sed tamen primaria oppositio est personarum. Huc accedit, quod optimi codd. præbent μᾶλόν τυ, unde suspicari licet, verba per librarios aliquantum distorta esse. His igitur rationibus impellor, ut veram esse putem emendationem: τὼς τὺ μὲν αὐλὸς ἔχοισα, καὶ ἢ ῥόδον, ἢ τύγε μᾶλον. Paullo insolentior collocatio pronominis τὺ offendisse videtur librarios, ut locum corrigerent, quam ob rem nescio an pronomen τυ in extremo versu ex codd. enotatum nihil aliud sit nisi τύ, quod post τὼς positum erat, suo loco temere expulsum. Quod autem pronomen τὺ inter articulum et substantivum interpositum est, id defendi potest similibus exemplis, veluti Eurip. Med. 475. ed. Porson. ἐκ τῶν δὲ πρώτων πρῶτον ἄρξομαι λέγειν. Hippolyt. 331. ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν ἐσθλὰ μηχανώμεθα. Lucian. Nigrin. c. 38. τὸ τοῦ ἄρα Τηλέφου ἀνάγκη ποιεῖν.*) In Meinekii eleganti conjectura displicet mihi omissus articulus τώς, quo carere vix possumus, quum intelligantur certæ tibiæ puellæ, quippe quæ tibicina esset. v. 16. Tum γλυκύμαλον apud Theocritum est blanda alloquutio. XI, 39. — v. 35. σχῆμα proprie significat habitum aliquem, figuram, deinde omnino dicitur de re ornata vel splendente. Quum autem hoc loco tibicina memorata sit et novi calcei, qui bene conveniunt saltationi, consentaneum est σχῆμα interpretandum esse de habitu saltantis, quamquam non ignoro aliter statuisse Mehlhornium schem. ἀπὸ κοινοῦ rat. p. 12. — In altera lectione quam constituit Hermannus me offendit ἀνακοίμεθα, quæ forma contracta optativi (conjunctivus κῆται apud Homerum extat.), quantum equidem sciam, numquam invenitur.

V. 36. Tui pedes sunt tali, h. e. tui pedes sunt bene tornati. Nam pulchri pedum tali in magna erant venustate, unde καλλίσφυρος, εὔσφυρος. cf. XVII, 32. XXVIII, 13. Aelian. V. H. XII, 1. de Aspasia: καὶ τὰ σφυρὰ ἀγαθὴ καὶ οἵα Ὅμηρος λέγει τὰς ὡραιοτάτας γυναῖκας . . . καλλισφύρους. Immerito igitur in hac comparatione quærunt pedum „levitatem et mobilitatem, quum talorum instar, quibus luditur, inter saltandum sursum et

---

*) Consulto omisi Callimach. fragm. 118., quia ibi οἵ acuendum esse videtur accentu, h. e. quam sui dicunt parentes. Nam verbum, quod totam sententiam regat, interponere Graecorum usui repugnat, id quod in Aesch. Eumen. 551. τήν τε κύρωσον δίκην, denuo docuit Hermann. Opusc. VI, 2. p. 88.

deorsum moventur." — v. 37. *ἁ φωνὰ δὲ τρύχνος.* Greverus conjicit *τρυφὰ* h. l. deliciæ. Similiter jam antea Græfius Ep. Cr. p. 44. *χἀ φωνὰ τροφερά.* Sed mittenda est talis audacia. Verba quæ leguntur apud Phot. Lex. s. v. *Τρύχνον.* p. 609.4. [p. 526. Porson. ed. Lips.]: *καὶ παρὰ τὴν παροιμίαν τὴν, ἁπαλώτερος τρύχνου, παρῳδῶν ὁ κωμικός φησίν· Ἤδη γάρ εἰμι μουσικώτερος τρύχνου* ostendunt, vocem tenuem et jucundam cogitandam esse. Metaphora fortasse petita est a suavi fructu.

V. 39. Nescio an in his verbis lateat hic sensus: Quam bene suaves strophas ille mensus est, ita ut singulis distichis sententias comprehenderit.

V. 40. Quid prima persona *ἀνέφυσα* significet, se non intelligere fatetur Greverus, alteram personam defendens. At recte se habet *ἀνέφυσα.* Nam Milo dicit: heu mihi propter barbam meam, quam stulte nutrivi, h. e. Tu potes versus facere tam pulchros, ego non possum. Tum pergit Milo: Audi tamen aliud quid, nimirum carmina qualia erant Lytiersæ, h. e. qualia conveniunt messoribus. Sensus est: Ego non facio quidem versus, sed cano versus multo meliores quam tuos, qui in amore versantur. Hunc autem nexum contemplanti non opus esse videtur, ut pro *δὴ* scribatur *μάν.* — Cæterum carminis, quod sequitur, justus quidam ordo conspicuus est. Ab initio enim solemni more invocatur Ceres. v. 42 et 43. Invocationem excipiunt singula præcepta sedulis messoribus observanda. v. 44—51. Jam v. 52 et 53. transitum faciunt ad ultimum distichon hoc sensu: Sed ejusmodi seduli messores necesse est justo tempore et justis portionibus cibos ac potus habeant. Hæc autem sententia jocose ita effertur, ut avarus villicus moneatur, ne sero (v. 54.) neve parce (v. 55.) cibum præbeat.

V. 43. *τὸ λᾷον — κάρπιμον ὅττι μάλιστα.* seges quam maxime fertilis, h. e. seges præbens quam plurima grana. Nostri agricolæ dicunt: *die Saat schüttet gut.* Itaque vocabulum *λᾷον* hoc loco pariter intelligendum est atque s e g e s apud Virg. Georg. I, 47:

Illa s e g e s demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

ubi Wagnero corrigenda fuit Heynii adnotatio: „seges est terra, ager." Ibidem IV, 128:

. . . . nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna s e g e s, nec commoda Baccho.

Heynius: „seges omnino pro agro, solo." quod intactum reliquit Wagnerus.
Tibull. I, 3. 61:

Fert casiam non culta s e g e s, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Idem IV, 1, 172:

Tondeturque s e g e s maturos annua partus.

Alia exempla congesserunt Broukhus. in hunc Tibulli locum, atque Davis. in

Cic. Tusc. II, 5. §. 13. Vulgarem explicandi rationem sequutus est L. Dissen. in Tib. Vol. II, p. 77. et p. 419., sequutus est R. Kuehner. in Tusc. l. l. At de istiusmodi locis verissime judicavit R. Klotz. in Cic. Tusc. p. 189. sq.

V. 48. Quod Wuestem. defensurus nominativum *ἀλοιῶντες* adnotavit, in nominativo inesse „adhortationem ad messores," in accusativo „præceptum aliquod," posteriusque minus convenire huic loco, id vereor ne hodie probet. Nam in utroque casu inest præceptum aliquod, sed nominativus tum demum aptus esset, si poeta messores ipsos alloqueretur, ideoque infinitivus positus esset pro imperativo secundæ personæ. Quum vero omnia præcepta, quæ traduntur in hoc carmine, in universum efferantur, consentaneum est accusativum præferri. Matthiæ. Gr. Gr. §. 546. postquam verissime indicavit discrimen nominativi et accusativi, dubius haeret (p. 1269. ed. III. in Not.) de Theocr. XXIV, 94. *ἄψ δὲ νέεσθαι ἄστρεπτος.* et Hesiod. O. et D. 391. *γυμνὸν σπείρειν γυμνὸν δὲ βοωτεῖν*, neque multum abest quin statuat enallagen casuum. Sed Hesiodus præceptum in universum proposuit nulla ratione habita fratris, h. e. *man soll leicht bekleidet säen und ackern;* et apud Theocrit. cum Hermanno in Vig. p. 744. ed IV. scribendum videtur *νεέσθω.*

V. 53. *τὸ πιεῖν* pro *τὸ ποτὸν* paullo insolentius dictum esse putat Wuestem. Sed videtur sumptum esse ex communi sermone, sicuti nos loquimur: *gieb dem Kinde das Trinken.* — Cæterum de proverbiali loquutione monet Erasm. Adag. III, 6. 16. p. 752. Idem consulendus est in v. 55. in Adag. II, 1. 5. p. 357. sq.

V. 57. *τὸν τεὸν λιμηρὸν ἔρωτα.* Wuestemanni verba: „nota *λιμηρός* ab effectu dictum" mihi quidem obscura sunt. Nam effectus inesset, si Battus propter amorem pauper factus esset, id quod hoc loco non proditur. Poeta dicit famelicum amorem, h. e. pauperem condicionem totius amoris; atque pronomen *τὸν τεὸν* positum est (pariter atque apud nos et apud Latinos) ad contemptum significandum.

Sed tempus est huic scriptioni finem imponere. Quodsi hic illic justo verbosior fuero, id condonandum erit scholæ magistro, qui quo uberius et dilucidius suam sententiam explanat, eo alacrius et studiosius suo se munere fungi arbitratur.